Nov l'i



HONESTA VIVENDI RATIO.


ONESTA VIVENDI RATI
RTVTES SIBI INVICEM HÆRENT

[illegible]

HONESTA VIVENDI RATIO

Qua

VNVSQVISQVE VTI DEBEAT

Vt

A Deo, & hominibus diligatur.

Authore

REV. PETRO CARACCIO

Canonico Bariensi.



PATAVII, MDCLVII.

Typis Pauli Frambotti Bibliop.

Superiorum permiss.

Illustriss. Nobilissimisque

ADOLESCENTIBVS

D. D.

ANIBALI, IACOBO,

&

CONSTANTIO

PAPAFAVA.


ILLVSTRISSIMI

VBERTINI

PAPAFAVAE

FILIIS

Mæcenatibus suis.



Vm Virtutem, NOBILISSIMI ADOLESCENTES, ex naturali instinctu semper amplectamur, & eam tanquam verissimam, & solam adorandam Deam veneremur, nemini meo quidem iudicio

§ 4 relin-

relinquitur dubium, quin præcepta ad ipsam virtutem conducentia magni quoque sint facienda: quæ cum libenter in lucem proferrem, dudum mecum de Dedicatione perpendi. Sed ecce venit in mētem nullis paruulum hunc meum, qui de HONESTA VIVENDI RATIONE CORAM DEO, & HOMINIBVS inscribitur, melius dedicatum iri libellum, quam ijs, qui Virtutis sunt amantissimi: Nam illi ex naturæ lege inclinati sunt, vt eam, quæ ad Virtutem ducit, viam beneuolo complectantur animo. Inter quos Vos NOBILISSIMI ADOLESCENTES, tanquā Principes agnosco, qui non solū ex natura, verum etiā ex Proauorum serie omni Virtutū genere estis ornatissimi.

Quid enim memorem prætermissis innumeris alijs præstantissimis, quos Vestra produxit Nobilissima Familia Heroibus, ROBERTVM Proauum Vestrum dignitate Magnæ Crucis in celeberrima illa Sancti Stephani Religione perfunctum, deinde Torque Sancti Michaelis à Rege Christianissimo donatum fuisse?

Quid

Quid de VBERTINO, qui ob Insignem, qua pollebat, Virtutem postquam varia Ecclesiastica munia ritè, decenterque administrasset à Gregorio XV. Pont. Max. Insula Episcopali Adriæ insignitus fuit; quam cum aliquandiù summa cum sui nominis Gloria sustentasset, vitam cnm morte commutauit, amplissimum honoris familiæ relinquens monumentum.

Prætermitto SCIPIONEM, cui pro Victoriarùm contra infensissimum veræ Fidei hostem Theatro totum Mare Mediteraneum inseruiuit: Quod satis Nobis declarauit, dum ob rcm benè gestam ad totius Siciliæ Regimen pro Sacra Religione Hierosolymitana, tandemque ad magnum illum Messanæ Prioratum euectus fuit. Per ardua ad summum honoris culmen accessit, sic inter reliqua Trophea maximum sibi Tropheum (id est) nominis Immortalitatem comparauit.

Nolo hic proferre BONIFACIVM Equitem Sacri Christi Sanguinis; Hic est, qui profusis militiarum copijs hoc etiamnùm durante bello Turcico pu-

blicæ rei subuenit; Hic est, qui ob rem benè gestam, & propriam meritorum suorum virtutem Venetam Nobilitatem per munificentiam Serenissimi Principis vnanimi omnium applausu Nobilissimæ Vestræ Familiæ adiunxit. Hic demum ille est, qui multis abhinc annis PISAVRINAM PISAVRAM lectissimã Matronam, splendidissimum Domus vestræ ornamentum, (nam Nobilissimæ huius Matronæ fœcunditate per generosissimam vtriusque sexus prolem, quæ non minus à Matris quam Patris virtute originem atq; ipsam virtutem adepta est, eximium Familia Vestra splendorem obtinuit) dignissimam tanto Viro Coniugem è Venetæ Nobilitatis Flore sibi in Matrimonium delegit.

Quid loquar de LVCA, & CONSTANTIO PISAVRIS, Nobilissimo illo Fratrum pari, magnanimis Vestris Auunculis quorum ille ingens Imperatoris munus in mari Adriatico non vna vice obiuit. Hic verò magno cum sui capitis discrimine, dum Risanum ex seruitute iurati Orthodoxæ

Re-

Religionis inimici ereptum fuit, æternum Pisauræ Familiæ honorem reliquit?

At quid tam longè eximia maiorum Vestrorum quærenda decora? cum inter tot alia sidera splendidissimum lumen refulgeat Illustrissimus Patruus Vester ROBERTVS ABBAS. Heros inquam, ille, quem nullus non dicam non aptis potest extollere encomijs, sed ne illius quidem iubar illæsis oculorum radijs contẽplari? Quis enim virtutes, quæ in magnanimo illius pectore domicilium posuere, ad vnguem enumerare? Quis delineare Prudentiam, Fortitudinem, Liberalitatem, Magnificentiam? Quis indicibilem in Patriam Charitatem, singularem in Deum Fidem, & Pietatem, incredibilem in omnes Beneuolentiam, in tractando mansuetudinem, erga proximum, & precipuè Pauperes Clementiam non dicam exornare sed enarrare valet? Quis candidos mores, atque ingenium dijsque cognatum animum? Quis intellectus vim atque indeficientes sapientiæ tùm Diuinæ, tùm Humanæ

§ 6 *manæ*

manæ Thesauros reserare? Quis triplicem Lauream, qua speciosa redimitus tempora in primo Adolescentiæ flore Bicipidis Montis arrectum per difficileque culmen superauit; quia, sibi obuiam progresso Picridum Choro, in PHAEBEA *Capitolia ouans inuectus est, atque assurgente Apolline, festumque omni æuo diem acclamante in immortalitatis Templo nullo senio conficiendus consedit? Quis Sacræ Mathæseos secretiora mysteria? Quis mentem immensitatis vtriusque mundi capacissimam vel adumbrare? Quis linguarum peritiam? Quis rerum omnium notitiam supra humanam sortem ipsi diuinitus elargitam? quæ cum ego verbis, atque oratione complecti nullo modo possim, nec finem Epistolæ egredi fas sit, silentio, nullo silendo tempore prætermitto.*

Intuemini, intuemini Præclarissimum Heroa VBERTINVM *Patrem Vestrum, dignissimum* ROBERTI *Fratrem quibus ille tum animi, tum corporis dotibus præditus sit, pro me Patauium loquatur, atque omnis Ve-*

neta

neta dicat Ciuitas, Itala tellus conte-stetur vniuersa, dum Famam ipsam, quæ iam tanti Viri nomeñ latissimè propagauit, non vano vulgi plausu, sed solida virtute atque præclaris facinoribus acquisita, testem compello. Virum ipsa magnanimum omnique virtutum genere refertissimum, non ore mendaci, sed vero, atque syncero deprædicabit, dignumque plane qui tantæ familiæ seriem in vos optimè natos Filios, atque per Vos in æuum traduceret.

An ergò quisquam erit, qui ex Progenie Vos Virtuosissimos esse neget, qui ex Familia tam Illustri, tam Præstanti, tam Inclyta Originem ducitis? profectò verissimum illud Poetæ.

—— nec imbellem
progenerant Aquilæ Columbam.

Hoc ex Vestro patet ingenio; Hoc mitis, ac mansueta Vestra declarat indoles; Hoc denique Vestra in Parentes obseruantia; Hoc Pietas, hoc erga Deum Charitas, indicant; Pergite, ò ma-


magnæ ſpei, & Virtutis Adoleſcentes!
eo, quo cæpiſtis, tramite, pergite, &
Proauorum veſtigijs inſiſtite, ſic meum
de HONESTA VIVENDI RATIO-
NE Opuſculum fouebitis, fouendo, ſi
quid deſit, adimplebitis, adimplendo
Virtutum limitibus inhærebitis, ijſque
inhærendo virtutem amabitis, & me
ſemper habebitis.

Patauij Antenoris 1. Feb. 1657.

Ill. Nobil. Adoleſentes

Deuotiſs. Ser. & Clientem
PETRVM CAROCCIVM.

AD AVTOREM.



VIrtuti plures via sentibus horrida tardat,
Ad metam propero nec sinit ire gradu.
At facilem vitæ rationem tradis honestæ,
Vt vitæ reliquis norma sit ipsa tuæ.
Conveniunt dictis prudenter gesta secundis.
His animum formas, & dare verba caues.
Duratura typis condantur Honoris ad aram:
Semita Virtutis te duce lenis erit.

Ioannes Rhodius.


Ad

Ad Reuerendum Eximiumq; D.

D. PETRVM CAROCCI


Librum

De rectè viuendi ratione Conſcribentem.




A Quocumq; artis certus conſcribitur ordo;
Illius hic artis dicitur eſſe parens:

Sic te, CAROCCI, bona dum documenta miniſtras,
Artis viuendi quis negat eſſe patrem?



Aliud

Aliud ad Eundem.



QVisquis amas rectam semper perducere vitam,
Accipe CAROCCI, quod tibi tradit, opus:
Hoc docet ante homines qua te ratione tenere
Et qua Cœlicolum te decet ante Deum.

In amicitiæ Symbolum P.
Gerardus Van Obbergen. Bruxell.
Phil. & Med. Doct.

INDEX

INDEX

CAPITVM, & RERVM quæ in hoc Opuſculo continentur.

CAP. I.

CAP. II.

Quæ-

Cap. III.

De

CAP. IV.

Erga

CAP. V.

De

CAP. VI.

Be-

Beneuolo Lectori.

HAbes hic, (ò Candide Lector!) breui quidem constricta sermone, quæ ad Vitam rectè instituendam coram Deo, & Hominibus apprimè inseruiunt; fortassis vberiora longiusque conscripta desiderabis; ast singula benè perpende, & spero fore, vt omnia, quæ expetis, alijq; ingentibus conscripsere voluminibus, compendioso hoc meo labore comperias. Vale igitur, (Amice Lector,) & fauendo virtutis zelum amplectere.

PRÆFATIO.

LActantius Firmianus, lib. secundo cap. 9. diuinarum institutionum, inquit, post omnia in mundum creata, vltimò introductum esse hominē tanquam ens omnium creatorum prefectissimum. Et sacræ literæ docent, hominem esse vltimum opus Dei, illius enim causa facta sunt omnia. Quod, & Gentiles poetæ testantur, vt Ouidius dum de mundo, & omnibus creatis dixerat, sic de homine inquit:

Sāctius his animal, mētisq; capacius altę
Deerat adhuc, & quod dominari in
cætera posset.
Natus homo est, &c.

Vt scilicet rector, & gubernator, esset creatorum omnium in mundo, & Dei Vicarius. Oportet namq; prius esse subditos, & regnum, antequàm rex constituatur. Si igitur homo rex est conuenit scire ipsius originem. Natus est homo e nobilissimo patre, Deo scilicet, ex limo terræ, vt nō nimium superbiat. Postquam creatus erat, ex eius corpore addita est ipsi fęmina: quam ac seipsum amaret, quia sciebat pater eius Deus, malè esse homini soli. Natus est, & na-

A scitur

scitur nudus, & pauper, vt seipsum vestiat non solũ vestibus laneis, vel lineis, sed, & virtute: nascitur non pilosus more bestiarum, vt pius, & humanus sit, non immanis: nam pili in corpore atrocem ostendunt animum. Nascitur corpore debili, vt suis non fidat viribus ac bestiæ, sed Dei imploret opem. Tamen robustorum animalium rex est constitutus. Huius regijs, regiæ, etiam dotes sunt, quibus præpollet cęteris creatis. Aliam namque formam habet, quam belluæ. Bruta formam habent pronam ad terrã: homo verò se vultum erectum ad sydera, vt terrena despiceat, & cælestia plus amet, cogitetque secus, sibi viuendum esse quàm brutis, ob formam nobiliorem. Habet etiam homo vt Rex suos Consiliarios, rationem scilicet & prouidentiam, quarum consilium secutus si fuerit, optimè reget, & se, & cætera terrena, & semper, prudens existet maximè in vtendis rebus propter se creatis, sibique sub regimine concessis: ac hoc modo placebit suo Cæsari Deo, & diù Imperio fungetur, & præmium consequetur æternùm, quod vt meliùs aßequatur, quo modo se gerere debeat consequentibus demostrabo.

Cap. I.

VITA HONESTA

Quid ſit, exquibus conſtet, & quid proſit.



Vm igitur homo natus ſit in mũdum poſt omnia creata, tanquam rector, & gubernator omnium, ac villicus à Deo conſtitutus, ipſi ſic viuendum eſt, vt ſuo Cęſari Deo placeat: vt à Cæſare ſuo in aulam cœleſtem reuocatus per mortem (vt ſolent Reges vocari à Cæſaribus humanis) poſſit reddere ſuæ villicationis, & dominij rationem. Iſtud autem vt poſſit, opus erit ſibi vita nobili, probata, & regia, ſiue honeſta. Nihil autem aliud eſt vita honeſta, quam hominē viuendo pręſtare brutis: & quantum

per naturam fieri poteſt, habeat talem vitam, quæ ſit Deo vtcunque ſimilis, quæ nulla alia in re conſiſtit, quam in virtute. Virtus autem, eſt fugere vitia, & ſequi honeſta: id nāque virtutis, & officium, & finis eſt. Per virtutem conſiſtere vitam honeſtam, & Deo placentem, teſtatur D. Auguſtinus lib.4. de Ciuit.Dei,c.12. dicens, Virtutem eſſe artem bene viuendi.

Et Bapt. Mantuanus quid virtus ſit, & quid proſit homini, his verbis exprimit.

Virtutis quærimonia ex Mantuano.

Fortunæ domitrix ego ſum, ſcelerumque flagellum.
Vtque hominem tuear, ſuperumque in tecta reportem
Incolumem, Stygias omneis demolior arces.
Ars mea mortaleis ad Olympia regna, Deumque.

Hor-

Hortari: monstrare vias, quibus itur in altum
Aethera: sum medium dirimensiter, orbita recto
Limite, quo monstrantur adhuc vestigia patrum.
Qua veteres cælo digni petiere Tonantis
Limen, vbi nitidis sunt lactea flumina campis.
Nescio delitias, nullum insidiosa voluptas
Mecum fœdus habet, mihi lis de limite regni.
Cum vitijs, multùmque inter contraria pugno.
Nanque meos inter regnum mihi contigit hostes.
Me labor assiduus validam facit, otia frangunt.
Et quoties opus est armis, exterrita nullis
Congredior, vinci, & succumbere nescia: si quod
Pondus ab aduersis iniectum est casibus, æqua.
Mente fero: ipsa hominem doceo, varias-

riaſque per aures
Erudiens, paucis dijs immortalibus annis
Per ſimilem reddo; & tandem ſuper æthera tollo.
Ipſa feros hominum docui componere mores,
Fons ego Caſtalius, Pallas ego: nomina plura,
Res eadem: non ſum morbo confecta, nec annis:
Incorrupta, virens, immortaliſque ſuperſto.
Cæleſtes etenim nihil in me motibus orbes,
Sydera nil radijs poſſunt, nil lumine Titan.
Poſt igitur tantorum operum experimenta, fidemque.
Deſeror ignotis errãs in gloria campis.
Patrono mea cauſa caret, quia pectora plena,
Perfidiæ faſtuque animos tollente ſuperba
Sceptra ſcelus rapuit: poſitis cuſtodibus omnis,
Scrutatur regni fines, adituſque tuetur.

Re-

Relligio contempta iacet, spretusq; Deorum
Cultus abit, tritaque fides iam pallida veste,
Infirmis titubat pedibus: pessundata legum
Maiestas: tot monstra pios immania mores
Inuasere: silet probitas: pudor exulat omnis.
Sed videt, & iusta librat Deus omnia lance.
Et me (vbi tempus erit) ipse in mea regna reducet.

Vtinam nostro Æuo.

PLutarchus etiam apertius exprimit quid virtus doceat: ipsam sub nomine Philosophiæ describens in libro de educandis liberis, dicens, per eam scire quid honestũ sit, quid turpe, quid iustum, quid iniustum, quid diligendum, quid fugiendum: quomodo parentibus, quomodo natu grandioribus, quomodo peregrinis, magistratibus, amicis, vxoribus,

ac ſeruis vtendum ſit; vtque deos veneremur, parentes honoremus, ſeniores reuereamur, legibus obtemperemus, magiſtratibus cedamus, amicos diligere oporteat. In mulieres ſeruare modeſtiam, charos habere liberos, non ſeruire cum ſeruis: & quod maximum eſt, in proſperis fortunæ ſucceſſibus lætitia non effundi, nec in aduerſis caſibus triſtitia deprimi; nec omnino voluptatibus eſſe deditos: nec ita per iracundiam effici, vt beluarum animos induamus, quarum natura eſt eſſe immanes: hominum autem eſt humanitatem, & pietatem colere.

Lucillius Poeta Virtutem ſic deſcripſit.

Virtus Albine eſt, pretium perſoluere verum.
Queis inuerſamur, queis viuimus rebus adeſſe.
Virtus eſt homini ſcire id, quod quæque habeat res
Virtus, ſcire homini rectum, vtile, quid ſit

sit honestum.

Quæ bona, quæ mala, item quid inutile, turpe, inhonestum.

Virtus, quærendæ rei finem scire, modùmque.

Virtus, diuitijs pretium persoluere posse.

Virtus, id dare, quod re ipsa debetur honori.

Hostem esse, atque inimicum hominum, morumq; malorum,

Contra, defensorem hominum, morùmque bonorum.

Magnificare hos, his bene velle, his viuere amicum.

Commoda præterea patriæ, sibi prima putare:

Deinde parentum: tertia iam postremaque nostra.

Diuisio Virtutis.

SEcuudum Ciceronem primo Officiorum, quatuor sunt fontes virtutis, ex quibus aliæ scatent, & omnis oritur honestas: scilicet Prudentia, Iustitia, Temperantia, &

Fortitudo. Quarum quatuor officia ſunt diuerſa, teſte Macr. in lib. 1. c. 7. de ſomnio Scipionis, qui ipſis hæc adſcribit munera, dicens.

Prudentiæ eſſe, cognoſcere, & addiſcere, quomodo omnia ſint agenda: nihil velle quàm quod rectum eſt, neque facere humanis actibus, diuino ingenio proſpicere: prouidere pericula futura, & ab illis ſibi cauere.

Fortitudinis autem officium eſt, non timere pericula: nihil metuere, niſi turpia, forti animo tolerare aduerſa, & proſpera. Fortitudo præſtat magnanimitatem, fiduciam, conſtantiam, ſecuritatem, magnificentiam, tollerantiam, & firmitatem.

Temperantiæ eſt, nihil appetere pœnitendum: in nullo legem moderationis excedere: ſub iugo rationis cupiditatem domare Temperentiam ſequuntur, modeſtia, verecundia, abſtinentia, caſtitas, honeſtas, moderatio, parcitas, ſobrietas pudicitia.

Iuſtitiæ

Iustitiæ est seruare, & conferre vnicuique quod suum est. De Iustitia nascuntur hæ virtutes, Innocentia, Amicitia, Concordia, Pietas, Religio, Affectus, Humanitas. Cicero primo officiorum, inquit Primum officium Iustitiæ esse, vt nemo alteri noceat nisi prius iniuria lacessitus. Secundo, vt communibus rebus vtatur, tanquam communibus: proprijs autem vt suis. Fundamentum omnis Iustitiæ est fides, scilicet dictorum conuentorumque constantia, & veritas. Lactantius lib. sexto, c. 10. ait, duplex est Iustitiæ officium. Primum, coniungi cum Deo per religionem. Secundum cum homine per misericordiam, & humanitatem.

His virtutibus, dicit Macrob.
Vir bonus, primum sui, &
suorum, deinde Rei-
publicæ Rector
efficitur,
iustè ac prouidè guber-
nans humana, diui-
na non dese-
rens.

De virtutis, & vitæ honeſtæ præmio.

VItæ honeſtæ ſiue virtutis, ſi quis officium, & præmium quæſierit, ſciat proprium eius officium eſſe duplex. Primò beare, id eſt, hominem facere beatum, poſt mortem, & in hac vita, ipſique Deo ſimilem. Ideo Virgilius cecinit.

—Pauci, quos æquus amauit.
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera Virtus.

Vel ſecundum Lactantium lib. 6. Officium virtutis eſt, iram cohibere, cupiditatem compeſcere, libidinem frenare. Secundò, ſuum alumnum omnium verè ditiſſimum reddit: adeò vt nullius egeat ſed omnium habeat copiam, teſte Plau. in Amphit. Comæd. ſic dicente. Virtus omnibus rebus anteit profectò: libertas, ſalus, vita, res, parentes, & progṅati tutantur, & ſeruant. Virtus omnia in ſe ſe habet: omnia adſunt bona, quem penes eſt virtus.

Nullius

Nullius autem præmij vulgaris & quod ob omnibus datur, cupida est virtus, neque honoris, neque gloriæ, teste Sillio Poeta.

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

Cui, & Claudianus Poeta hisce alludit versibus.

Ipsa quidem virtus pretium sibi solaque latè.
Fortunæ secura nitet: nec fascibus vllis.
Erigitur, plausùue petit clarescere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitijs animosa suis, immotàq; cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

Horatius Od.2.

Virtus repulsæ nescia sordidæ.
Intaminatis fulget honoribus.

Neque opes, vel diuitias desiderat in præmium: quia illis est longè nobilior, teste Horatio. carm. lib.3.

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Ideo Macr. in lib. 2, cap. x. de som. Scip. inquit. Fructum, & præmium virtutis, homo sapiens in conscientia ponit: munus autem perfectus qui est, in gloria. Iubetque ibidem Macr. Vt si quis in Virtute perfectus fieri cupit, vt contentus sit in conscientiæ præmio, id est, quod scit virtutes, gloriam non requirat.



CAP.

Cap. II.

Quomodo ſit acquirenda VITA HONESTA, ſiue VIRTVS.



Oneſtam Vitam ſiue virtutem, qui aſſequi cupit, ſunt neceſſaria. Primo, vt animum ſuũ præparet, quo dignus fiat virtute, & honeſtate. Secundò, vt diſcat quomodo animo iam præparato, Virtus ſic adipiſcenda. Præparatio animi fieri debet per tria: Scilicet per voluntatẽ promptam, quod ſcilicet voluntas eius ſit, velle virtute proficere. Magnum nanque eſt calcar ad honeſtatem velle honeſtus fieri. Nihil difficile eſt volenti: ſi-

cnti,

cuti, difficilius nihil est. quam inuitum cogere velle. Ideò, & prouerbium est: Stultum est, canes inuitos ducere venatum: idest, compellere ad studiũ aliquod hominem inuitum, nolentem, & recusantem. Quare Comicus dixit: nihil tam facile est, quin difficile fiat, si inuitus facias. Lactantius libro primo inst. Christianarum, dicit: Quòd virtus colenda est, non imago virtutis, & colenda est, non sacrificio aliquo, thure aut precatione solemni, sed voluntate sola, atque proposito.

Habita voluntate, & amore acquirendi virtutem, duobus alijs præceptis, & animus ille voluntarius fulciendus est, & præmuniendus, scilicet Patientia, & Abstinentia, vt patiatur multa, & abstineat à rebus præsertim voluptuarijs.

Opus est Patientia magna virtutem cupienti, vt patiatur tum aduersa, tum laborem. Patiatur aduersa, & vt Virgilius ait in libro 6. Æneidos, (*Non cedat malis: sed contra audentior eat.*) Nam secundum

Vale-

Valerium lib. ſexto: (*Eneruos animos virtus odiſſe ſolet:*) ideſt, Virtus illos odio habet, qui ſunt animis timidis, ad nihil audentes, & nullius conſtantiæ. Patientia, & Abſtinentia eſſe opus ad virtutem acquirendam, indicat Horatius hiſce verſibus

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, ſudauit, & alſit,
Abſtinuit Venere, & Baccho.

Prudentius quoq; ille Poeta Chriſtianus his decem verſibus oſtendit ad virtutem, opus eſſe patientia, dicens.

Omnibus vna comes virtutibus aſſociatur,
Auxiliumque ſuum fortis patientia miſcet.
Nulla anceps luctamen init, virtute ſine iſta.
Virtus nam vidua eſt, quam non patientia firmat.
Deſine grande loqui, frangit Deus omne ſuperbum.

Magna

Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Disce supercilium deponere, disce cauere:
Ante pedes foueam, quisquis sublime miraris.
Perulgata viget nostri sentētia Christi:
Scandere celsa humiles, & ad ima redire voraces,

De Abstinentia.

ABstinentiam etiam rerum voluptariarum ad virtutem nanciscēdam esse necessariam, per multi eruditi sunt testati. Cic. lib. 4. noue rhetoricæ, inquit: Qui nihil in vita habet iucundius vita, scilicet voluptuaria, is cum virtute vitam colere non potest. Valer. Max. lib. 4. Quæ vrbs voluptati plurimum tribuit imperium maximum amisit, & libertatem tueri non potuit: quæ autem laborare est delectata, imperium seruauit, & libertatem alijs donare potuit. Lactantius libro 6. cap. 13. scriptum reliquit; quod

quòd triplex ſit gradus virtutis. Primus eſt, à malis abſtinere operibus: ſecundus, a malis verbis; Tertius, etiam à cogitatione malarũ rerum. Qui primum gradum aſcendit, ſatis tutus eſt, Qui ſecundum, iam perfectæ eſt eſt virtutis, ſi quidem neque factis, neq; ſermone delinquat: Qui tertium, is verè ſimilitudinem Dei aſſequutus videtur. Eſt enim penè ſupra humanum, ne cogitatione quidem admittere, quod ſit, vel factu malum, vel improbum dictu.

Eſt igitur cuilibet virtuti ſtudere volenti opus patientia, & abſtinentia.

PAtientia, vt aduerſa, & laborem æquo animo ferat, otium detetetur, ſudorem & laborem amplectetur. Nam Heſiodus Poeta dixit: Deos, virtutem poſuiſſe in altum, & arduum, vt per ſudores multos, & anxios, eam quærere oporteret. Hinc Philoſophi multi plus olei, quam


quam vini consumpserunt, plurimum sudoris pertulerunt, parum vel nihil otij egerunt. Otium enim virtutem debilitat, labor ipsam confortat. Abstinentia etiam opus est, vt à vitijs abstineatur. Est nanque virtus, teste Horatio, nihil aliud quam fuga vitiorum.

Animo sic instructo, & præparato, scilicet spontanea voluntate, patientia, & abstinentia, quis sit modus acquirendi tum virtutem, tum honestatem, perscrutandum est ab eruditorum scriptis, & in libris. Tradunt litterarum autores, præsertim Laertius in lib. de vitijs philosophorum, quamlibet disciplinam tribus rebus indigere, scilicet natura, documento, & consuetudine, idest, Ingenio, Scientia, & Exercitio.

His tribus ad virtutem opus est.

INgenio nimirum acri, acuto, non agresti, vel Beotico. Nam Plato dixit, sapientem, id est, virtute præditum

ditum, nullum perfectum eſſe poſ-
ſe, niſi cæteris ingenio præſtet,& ar-
tibus, ac prudentiæ partibus imbu-
tus ſit. Ingenio excellenti, & præ-
ſtanti omnes, tot quot olim fuiſſe
leguntur philoſophi, ingeniis florue-
runt. Hinc Lactantius dixit libro 1.
duos eſſe gradus ſapientiæ: Primus,
falſa intelligere: Secundus, vera co-
gnoſcere. Omnis autem intellectus,
& cognitio conſtat & fit ingenio po-
ito, & compto. Idem Lactantius
ibro ſecundo ait: Quod Sapientiam
ibi adimunt illi, qui ſine vllo iudicio
nuenta maiorum probant, & ab
llijs more pecudum ducuntur. Qua-
re ingenio opus eſt, tum ad virtutem
acquirendam, tum aliorum præcep-
ta dijudicanda. Ingenio noſtro, in-
quit Cicero in Tuſcu. quæſtionibus,
nnata ſunt ſemina quædam virtu-
tum: quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa
nos ad beatam vitam natura perdu-
ceret. Si innata ſunt noſtris ingenijs
ſemina quædam virtutum, certum
eſt ex ingenio tanquam theſauro
progigni ipſas virtutes: per inge-
nium



nium ipſum virtutes, aut perſcrutari quemlibet, aut à docente melius imbibere, & addiſcere. Ideò veteres Philoſophi in diſciplinam, vel eruditionem ſuſcipiebant nullum, niſi eius ingenium prius perluſtraſſent, & perſcrutati eſſent: quod ſi obtuſum fuerat, erudiendum non ſuſcipiebant. Nam, vt refert Quintilianus cui ingenium deeſt, illi non magis proſunt præcepta, quam ſterilibus agris cultura: quamtumuis colantur, fructum tamen non proferunt. Nulli tamen deſperandum, cui ingenium contigit infæcundum, ſed labor vehementior ſuſcipiendus, & ſubeundus, quo tandem duricies ingenij vincitur, teſte Quiutilian. lib. primo cap. primo. Præſtat ingenio alius alium, ſed ita vt plus efficere poſſit, aut minus: nemo tamen eſt, qui labore, & ſtudio nihil ſit conſecutus. Et ſi non vt optimus quiſque fieri poteſt, ideo tentare omittere non debet; nam vt Horatius inquit: Eſt quoddam prodire tenus, ſi non datur vltra, ideſt mediocrem facere

perſe-

profectum, etiam & laudatur, si progredi non licet per ingenij ruditatem.

Inter ingeniosum tamen, & ingenio carentem, duplex est differentia. Prima, ingeniosus vltrò, & velociter virtutem cōsequitur, instar equi citati cursu, qui fræno retinendus est. Rudis verò ingenio, similis est equo, qui ad cursum calcaribus est adigendus: sic ingenium rude labore est acuendum. Hinc de Socrate refert Quintilianus, qui duos habuit discipulos, Ephorum, e Theopompum, alterum ingeniosum, quem dicebat egere frænis, alterum rudis ingenij, cui calcaribus opus esse dictitabat. Secunda differentia, Ingenium nobile non diu durat, vel quæ didicit, minimè retinet: vt præcocia illa poma citò putrescunt, sed dura, & agrestia mollescunt serius, at durant longè diutius. Ingenium itaque durum labore etiam virtuti adaptatur. Nam Erasmus inquit: Eruditione mollescunt ingenia.

De Disciplina, Scientia, siue Instructione.

POst ingenium, & arte siue instructione opus est: non enim sola natura, vel ingenium sufficit, nisi, & instructio accedat, quæ quod à natura imperfectum est, perficit. Ideò inquit Cicero lib. 3. nouæ rhetoricæ: Quod ars naturæ commoda confirmat, & auget. Deinde eadem rhetorica lib. 4. refert Cicero. Vt æquus indomitus, quamuis bene natura compositus sit, idoneus non potest esse ad eas vtilitates, & artes, quæ desiderantur ab equo: ita neque homo indoctus, quamuis sit ingeniosus, ad virtutem potest peruenire, quoniam non potest virtus sine doctrina comparari.

Hinc quondam ducti Gentiles illi, scholas publicas erexerunt, primum Athenis vrbe Græcię excellentissima tunc temporis, & alijs in locis, vt in ipsis iuuentus instrueretur, & scientia, & moribus probis, quæ duo

duo ſine inſtructione ægrè acquiruntur. Ideò Ariſtippus Philoſophus indoctum, & literis non eruditum, ſaxo, & lapidi comparabat. Quæſitus autem quondam à patre quodam, quid filio ſuo prodeſſet, ſi literis inſtrueretur: reſpodit, etſi nihil aliud, ſaltem in Theatro non ſedebit lapis ſuper lapidem, non erit apud doctos tanquam lapis. Virtutem acquiri inſtructione ſciebant Ethnici, qui Pædagogos domi habuerunt, ſub quorum ferula ipſorum filij artes, & virtutẽ addiſcerẽt, id quod Athenienſibus vſque adeò religioſum fuit, vt legem ſtatuerint: quod filij non deberẽt cogi ad alendos parentes ſenio confectos, niſi in Iuuentute ab ipſis eſſent Præceptoribus ad inſtruendum commiſſi, & virtute imbuti. Ad virtutem acquirendam, duplici opus eſt inſtructione, Muta ſcilicet, & Viua. Mutam dant ipſi libri, qui leguntur, qui docent, ſine vocis ſono. Altera, quæ Viua dicitur, Præceptorum eſt, qui ore viuo proferunt, & infundunt

præcepta virtutis auribus adoleſcẽtum. Plus tamen viua præſtat eruditio, quam muta. Ideò veteres quidam Philoſophi leguntur varias terras fuiſſe emenſos, neque vllas reliquiſſe inacceſſas. Pithagoras, Empedocles, Democr. Plato ad percipiendam virtutem nauigauère peregrè, hãc peregrinationibus ſuſceptis inueſtigauère. Non contenti fuerunt vmbratico, & lucernario ſtudio, quod intra parietes habere potuiſſent: ſed aliò ſe contulerunt, vbi quid eſſet, quod diſcere dignùm exiſtimarent: vbi eruditos ſciebant, non libros, ſed Philoſophos & inſtructores litteratos eò accedebãt.

Quatuor autem præcipuè Auctorum libri ſunt legendi; ſcilicet Poetarum honeſtè ſcribentium, Hiſtoricorum, Philoſophorum, & Sacræ Scripturæ.

Poetæ honeſti ad vitam honeſtam vſque adeò conducunt, vt olim Ciuitates Græcorum eruditiſſimæ liberos ſuos in poetis primum erudirent: ſolum poetas, ſapientes eſſe

esse dictitantes. In poetis pueri virtute instruuntur, vt verissimè dixit Horatius in Epistolis

Os pueri tenerum, balbumque poeta figurat.
Mox etiam pectus præceptis format amicis.
Instruit exemplis, inopem solatur, & ægrum.

Secundò, libri historicorum, qui nobis egregiorum heroum gesta, mores, & fortunas proponunt. Ex quorum vita laudabili bene viuendi modus acquiritur: & ex temeritate, aut infelici ipsorum casu cautiores fieri licet: id quod pulchrum est, aliorum insania frui. Ideo Diodorus dixit: Puchrum est ex aliorum erratis meliorem instituere vitam nostram, & quid appetendum, fugiendumuè sit, ex aliorum exemplis cognoscere. Historia, inquit Beroaldus, ad id, quod honestum est, inflammat, detestatur vitia, probos extollens, improbos deprimens.

Tertio Philosophorum libri, qui de virtute præcepta dederunt. Vt sunt Ethicorum decem libri Aristotelis, Ciceronis tres libri Officiorum, Senecæ Philos. opera om-

nia, Lactantius de diuina institut. Erasmus de instituendo Principe Christiano, multique alij, qui honestum viuendi modum descripserunt.

Quartò, Sacræ Scripturæ libri, qui Deum agnoscere docent: quem agnoscere, vt Creatorem omnium, ipsumque esse vnum, & trinum in personis est vera hominis sapientia, vt inquit Lactantius lib. 2.

QVÆST. I.

An paupertas non obstet Virtuti.

NOn est quod quidam pauperes incusent, quò minus virtuti studeant. Paupertas namque olim vt inquit Apuleus Philosophis fuit vulgatissima. Et quiscunque ad aliquod honoris culmen accessit, illum paupertas ab incunabulis est comitata. Paupertas antehac omnium ciuitatum fuit conditrix,

ditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omni gloriæ genere onusta, summis in cœlum ludibus apud omnes nationes extollebatur. Hæc Apuleius. Si quis igitur paupertate prematur, sequatur Cleantem Philosophum, qui inopia coactus, nocte aquas pretio hauriebat, vt interdiù victum haberet, quò commodius literis incumberet. Laboret etiam, pauper, dum tempus est, vt mereatur vnde viuat, & virtutem comparet, quæ etiam, & laborantibus manu aduenit. Hinc Seneca dixit lib. de vita beata. cap. 7. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris stantem, puluerulentam, coloratam, callosas habentem manus, quo nihil aliud videtur ostendere, quam quod etiam laboriosos homines virtus adamet, & amplectatur.

(?)

QVÆST. II.

An ſine doctrina poſſit Virtus acquiri.

AT dicet fortaſſe aliquis: multi indocti ſunt, neque vnquàm literas didicerunt, & tamen honeſti viri habiti ſunt, & habentur. Reſpondendum eſt, quòd vtique multi ingenio optimo ducti ſunt ad virtutem ſine doctrina, teſte Cicerone in libris Orationum ſic dicente: Ego multos homines noui, excellenti animo, & virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturæ ipſius habitu propè diuino per ſe ipſos, & moderatos, & graues extitiſſe vidi. Etiam illud adiungo ſæpius ad laudem, & virtutem Naturam multò melius ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam. Atque contendo, cum ad naturam eximiam, atque illuſtrem acceſſerit oratio quædam, confirmatioque doctrinæ: tum neſcio quid

præ-

præclarum, atque singulare solere existere. Hæc Cicero

De Exercitatione.

PRæter Ingenium, & Scientiam, exercitatione diligenti vtendum est: alias nequicquam studeret quispiam pro virtute acquirenda. Teste enim Cicerone tertio libr. nouæ rhetoricæ. In omni disciplina infirma est artis præceptio, sine summa assiduitate exercitationis; tum vero in memorijs minimum valet doctrina, nisi industria, studio, & labore, & diligentia comprobetur. Et Lactantius libro 3. inquit. Artes ideo discuntur, non vt sciantur sed vt exerceantur. Et Propertius

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Exercentur autem vel ad vitæ subsidium, vel ad voluptatem, vel ad gloriam. Cicero in officijs scriptum reliquit. Quod omnis laus virtutis non in cognitione, sed in actione consistat: idest, parum est noscere, vel scire, quid virtus sit,

quid honestum, & quid vitiosum, nisi,& actu virtuoso virtutem ipsam approbemus.

Erit autem hæc exercitatio scientiæ cognitæ, vel auditæ pro virtute acquirenda,

EX quatuor illis libris, scilicet Poetis, Historicis Philosophis, & Sacra Scriptura, si fructum & cōmodum veræ virtutis, & honestatis cupimus, nos oportet, apum in colligendo melle sequi consuetudinem. Solent apes mel congerentes, varios circumuolitare flores, multos degustare flosculos, succi aliquid exugere, deinde nonnihil humoris secum aduehere in aluearia, quod deponunt,& constipant in mel futurum: idq; sæpius faciendo, tandem multum coaceruant mellis, dulce laborum præmium. Non secus, & literarum, & virtutis quisque studiosus qui fuerit, & aliquando in

virum

virum euadere cupit, quadruplicem debet habere exercitationem; nam

Dulcia non meruit qui non gustauit amara.

Prima exercitatio est, vt quæ leguntur, non obiter percurrantur, quæ lecta fuerunt in librum raptitiũ tanquam memoriæ custodem deponantur, quò meliùs illa suis temporibus in nostram aliorumque vtilitatem possimus conuertere: deinde vt in sententijs quæ virtutis dant documenta diutius hæreamus easq; benè perpedamus, ac memoriæ imprimamus: quæ verò auditu percipiuntur, non minus ac lecta sunt recolligenda; Nam hæc egregium Virum decent; teste Cicerone primo libro veteris Rhetoricæ: quod sapientia sine eloquentia parum pro sit, Ciuitatibus: eloquentiam verò sine sapientia plerunque obesse, prodesse nunquam. Habebit autem quisq; studiosus libros raptitios duos, in quos audita, vel lecta excerptat. In vno, quod mores ad Virtutem instruat; in altero quod intellectum ad disputandum acuat, vel linguam

ad eloquendum expoliat, ſcripta continet. Inſtar auari theſaurum colligentis, qui diuerſos habet Ioculos, in quos argentum ſeorſim, & aurum deponit. Hæc exercitatio fuit Plin. naturalis hiſtoriæ autori familiaris; vt ſcribit Plinius ſecundus, eius auunculus in epiſtolis, quod nihil legit, quod non excerperet.

Secunda exercitatio: excerpta memoriæ includat, cogitetque ſe illis quandoque velle vti, teſte Macrobio libro ſexto *cap.* 1. Saturnalium dicente:Hunc eſſe optimum modum legendi, vel audiendi, imitari ea quæ in alijs probas: & quæ maximè miraris inter dicta aliorũ, illa in aliquem vſum tuum conuertere. Id quod Latini inter ſe nec non & Græci excellentes facere ſolebant. Hæc Macrobius. Non enim illud eſt autorem aliquem audire, diſcere eius verba, vel orationes intelligere: ſed ex ſuis ſcriptis ſibi eloquentiam, & rectè viuendi modum colligere: ſicuti non prodeſt

deſt cibus corpori, ori, & faucibus impoſitus ſolum, niſi, & in ſtomachum deſcendat, & ibi concoquatur, & tandem in ſanguinem, & carnem conuertatur. Ita neque lectio audita, vel lecta prodeſt, niſi in loquendi vſum, & aliorum ſubſidium conuertatur.

Tertia exercitatio hæc erit: vt in dies aliquam lineam ducat: exemplo Apellis Pictoris, qui eſſe veriſſimum illud iudicauit,

Nulla dies ſine linea,

Nam quãtumuis occupatus eſſet, ad minimũ ſuis picturis quotidiè quicquam affingebat, vel emendabat. Sic, & auari ſolent, qui indies nummum vnum ſeponunt, in futurum theſaurum. Parua namque pupillis ſæpe addita, multa tandem fiunt, teſte Heſiodo Poeta.

Paruula ſit tentas ſuper adieciſſe puſillis:
Idque frequens peragas, magnus cumulatur aceruus.

In hac exercitatione laborandum non eſt, vt in dies multa diſcamus: ſed pauca ſufficiunt dum docta & bona

bona. Ideo Apelles cuidam Pictori indocto, glorianti quod imaginem quandam subitò, & citò depinxisset, respondit: Non admiror illud: nam & multo plures tā ineptas imagines, citò pingere posses. Quare Catonis est sequenda sententia: *Sat citò, si sat benè.* Inde (*in Suet. in August.*) Augusto Cæsari adagiū fuit: *Matura lentè*: id est festina lentè in opere, idest, prudenter non nimium; vt etiam commune illud axioma profert;

Quicquid agas prudenter agas, & respice finem.

Plus enim prodest, progressus parum velox, & prouidus, quam velocissimus sine arte, & ratione.

Quarta, & vltima exercitatio, vt ad Vesperam per diem audita, vel lecta, repetantur: quod mori Catoni fuisse dicit Philelphus libro 2. de puerorum educatione: & Apuleius scribit de quibusdam in India, qui vocabantur Gymnosophistæ, qui neque terram colere sciuerunt, neque agros arare, neq; equos domare.

re, nec taurum ſubigere, nec ouem tondere: tamen mirum in modum ſapientiam colebant, & Magiſtri ſenes, & diſcipuli iuniores, nihil tam odio habentes, quam animi torporem, & otium. Poſtquam menſa erat ſtrata, priuſquam edulia apponerentur, omnes Adoleſcētes ex diuerſis locis, & officijs ad dapes cōueniebant: tum Magiſtri rogabant eos, quid boni à lucis ortu, ad illud tempus feciſſent. Tum vnus commemorabat ſe inter duos feciſſe pacem, & concordiā: alius parentibus quippiam imperantibus obediuiſſe: alius meditatione ſe aliquid excogitaſſe: alius quidpiam ſe didiciſſe, & ſimilia. Qui autem nihil afferre vel dicere potuit: foras impranſus ad laborem extrudebatur. Hæc Apuleius: Sic & Studioſus quiſque ad veſperam apud ſemetipſum ſequatur ouium naturam, quæ veſperi in ſtabulis, è paſcuis pulſæ, ruminant, id eſt, rurſum edunt, & dentibus conterunt pabulum in die decerptum; ſimul, paſtori ſuo lac

præ-

præbent. Sic, & ſtudioſus virtutis, lecta, vel audita, veſperi repetat, tam quæ ad eloquentiam, quam quæ ad virtutem conducunt. Secundò, ea ipſa in lac vertat: id eſt, in vſum vtilem, & honeſtum ſuæ vitæ uſurpet, & erga alios exhibeat id, in quo profecit: ſicuti oues ſuo paſtori ſe oſtentant lacte per diem gramina ſe corroſiſſe, nõ otio diem tranſegiſſe. Proderit, & hoc non parum, imò maximè præcipuè cũ placet cum alio diſcertare quiſnam in eloquẽtia, & virtute maiorẽ progreſsũ fecerit. Tum enim quiſq; experitur, quid ſciat, quidq; neſciat, dum cum alio ſe confert. Ideo ſcribit Suetonius in libro de Illuſtribus Grammaticis, quod olim in Scholis Literarijs hic mos fuit, vt Scholaſtici ante meridiem in inuicem diſputarent: ſed poſt meridiem ſe poſitis libris declamitarent.

CAP.

CAP. III.

Quid in omni ætate agendum ſecundam rectam

HONESTATIS LEGEM.



Irtutis, ſiue Honeſtatis Vita duabus cõplectitur Regulis ſcilicet ornatu ſui ipſius, & Honeſta erga alios actione; teſte Macrobio, in ſomnium Scipion. lib. 1. cap. 7. Quod per virtutem vir bonus reddatur primùm ſui ipſius Rector, deinde Reipublicæ. Primum decet ſeipſum regere, & rectè inſtituere, vitã priuſquã aliũ doceamus. Hinc quæſitus Thales Milæſius Philoſophus, quis verè Rex eſſet, reſpondit, *Qui ſeipſum regit.* tecum habita, vt noris quam ſit tibi curta ſupllex, Quomodo autem de-

ceat

ceat per virtutem instruere, aut regere seipsum sedulo opera danda est, vt sequentia vberius demonstrabunt.

Sex præcepta seruanda illi, qui seipsum Honeste, & instruere, & regere vult.

PRimum præceptum, discat tacere, iuxta illud,

Audi, Vide, Tace
Si vis viuere in pace.

Vnde colligitur Silentium plus adamandum esse, quam loquacitatem. Taciturnitas enim prudentem virum indicat: sed garrulitas stultum. Tacendo (inquit Macrobius Saturnal. lib. 7. cap. 1.) Philosophus, non minus philosophatur, tacendo quã loquẽdo, id est, nõ minus est signum sapientiæ tacere, quam loqui. Hinc, vt ait Apuleius, Pythagoras primum hoc nomine Philosophus vocatus, nihil prius docuit Discipulos suos, quam tacere: prima-

maque eius instructio discipuli futuri sapientis, erat linguam coercere, & verba premere intra vallum dentium. Socrates quoque interrogatus à quodam, quomodo quis sapiens fieret; duo præcepta ipsi dedit: Primũ, vt taceret sæpius, quam loqueretur, alterum, vt loqui disceret. Tacendum est sæpius, quam loquendum, patet per tria signa.

Primò, per naturam, quæ contulit homini os vnum, & aures duas, vt minus loqueremur, quam audiremus.

Secundò, per veterum Romanorum consuetudinem: solebant enim Romani pingere Angeronã Deam Silentij ore sera obsignato, & Aegyptij Harpocratem Deum silentij depinxerunt, duobus digitis os occludentem.

Tertiò, per antiquorum Philosophorum doctrinam, qui nihil vsque adeo damnabant in homine, quam multiloquium dicentes; ideò naturam dedisse homini dentes, & labia ante linguam, vt ipsam comprime-

rent,

rent, ne nimium effutiret. Ideo Xenocrates Philosophus quæsitus de suo silentio respondit: Se numquam pænituisse, quod tacuisset, sed per sæpe quod locutus fuisset.

Secundum Præceptum benè loquatur, quæ loqui decent, non mendacia, aut ficta; Nam qui audet loqui ficta, & non visa, niger est, teste Horatio. Neque ea verba, quæ, vt Plinius inquit, deberent iterum aloquente repeti, ipsi nocerent: vitentur etiam verba detractatoria, quibus aliorum fama læditur: non reuelenda verba arcana, aut fidei commissa: proferantur ea, quæ honesta sunt pudica, vtilia, & vera. Cætera omnia tacenda sunt virtutis cultori. Ideò Ouid. dixit.

Eximia est virtus præstare silentia rebus:
Et contra grauis est culpa, tacenda loqui.

In loquendo igitur hæc lex est seruanda: vt locuturi animaduertamus, an quæ loquimur seruiant loco, tempori, & præsentibus. Secundò loquendum est, quando silentium

tium aut nobis, aut alijs eſt nociturum. Tertiò præcauendum ne in loquendo niminm ſimus impetuoſi, nimiumque celeres, ſed modeſti, & ingenioſi ne alicui iniuria fiat. Sermonem liberaliter accipiamus & officiosè reddamus, ſicque in omnibus rebus certus modus obſeruetur, vt neque agendo, neque loquendo, quemquam oſſẽdamus: vt nobis declarat Terentius in Adria, Scena prima, His uerbis, Id arbitror apprimè in uita utile eſſe. Vt ne quid nimis, id eſt, mediocritas ſeruetur. Hinc eruditi dixerunt: Virtutem in medio poſitam, accedit authoritas Horatij.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines:
Quos vltra, citraque nequit conſiſtere rectum.

Virtus conſiſtit in mediocritate, & in exceſſu vitium eſt ſitum. quare in omni re mediocritas, & modus laudatur; exceſſus ſemper vituperatur. Inde Heſiodus Poeta dixit; dimidium plus toto, id eſt, plus laudatur in rebus mediocritas, quam

ipſa

ipſa nimietas. Nam & vulgi prouerbium habet. *Omne nimium in vitium vertitur*. Cleobulus Lyndius vnus è ſeptem Sapientibus Græciæ, dixit. *Optimus eſt modus in re qualibet*.

Quartum præceptum, Vitet, & fugiat illud, quod ipſe in altero carpit, teſtimonio Diogenis Philoſophi dicentis. *Si vis bonus, & virtute præditus effici; expelle à te, quod in alio deſpicis; & Cicero* dixit: *Omni carere vitio debet ij, qui in alium paratus eſt dicere vitium; facillime autem & accerrimè aliorum cernimus crimina, ſed noſtra ignoramus, & celamus, nam.*

——quiſque ſuos patimur manes.

Si quis in ſeipſum deſcenderit, & ſecum perpenderit qualis ipſe ſit, animo nempè iuxtà vitioſo, tum ceſſabit mordere alium, & prius ſeipſum à vitijs purgabit, virtuteq; ornabit. Ideò SALVATOR NOSTER IESVS CHRISTVS in Euangelio 7. Matth. Ad virtutem nos hortaturus, iuſſit: vt prius ex ocu-

lis

lis nostris trabem eijceremus; tum deinde alteri festucam; nos prius curaremus nobis medicari, tùm alijs.

Quintum præceptum, vtranque fortunam ferre discat, prosperam, scilicet, & aduersam; non nimium exultet in fortunæ prosperitate, ne subito mutata fortuna, ipsum nimium perturbet, & contrestetur; neque in aduersitate nimium doleat, exemplo Socratis, qui in vtraque fortuna, eodem vultu, & animo fuisse legitur. Ideò, & Plato olim quæsitus, per quod homo sapiens agnosceretur, respodit. Homo sapiens cum vituperatur, non excandescit, nec extollitur nimium cum laudatur. Virtus nanque superbiam nescit, quia vitium est, neque desperationem, & Iram admittit, quia etiam vitia sunt. Quare vulgò est prouerbium. *Qui Homo in aduersis rebus pusilli est animi ille nauci non est*. In vtraque igitur fortuna prospera, & aduersa, sequenda est consuetudo cuiusdam Philosophi,

qui

qui in rebus prosperis tristabatur, sciens post læta ventura tristia; In rebus aduersis lætabatur, certus post malum sequi bonum. Nam mutabilis est fortuna, & oritur post nebula Phębus. ita & nos in prosperitate cogitemus tristitiam aliquam sequuturam, & in aduersitate lætitiam. Nam teste Plauto in Amphitri. Ita Dijs visum est, voluptati vt mæror comes subsequatur. In aduersis ita cogitemus illud Virgilij, *Dabit Deus his quoquè finem*; & pariter istud.

—— olim meminisse iuuabit

Sextum, & vltimum præceptum; qui honori consultum vult cum bonis ambulet, id si fieri non possit, quia aut non nosti aut alia de causa, solum te esse atque ire, quam cum malis est optatius; deinde eorum appete consortium ex quo fructum colligere potes, quibus placere maxima & laus, & virtus est nam qui illis placet: eum oportet quoque aut bonum esse, aut saltem fieri. Boni nanq; non nisi bonos amant, & ma-

li

li malos, iuxta illud. *Cum bono bonus eris, & cum peruerso peruerteris.* Debere autem illum laborare, vt bonis placeat, qui virtutē exoptat, liquet ex Seneca, dicente: Aliquis vir bonus eligendus eſt nobis, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic viuamus, tanquam illo in ſpæctante. facilè enim ille bene viuet, & ſecundum virtutem, qui ad voluntatem, & regulam, vel in coſpectu bonorum viuit eorumque conſortio vtitur, non ſecus ac ante ſpeculum mulieres ſe ſe ornantes, tandē venuſtiſſimè ornatæ prodeunt in publicum.

De diuerſarum Ætatum, moribus, & Virtutibus.

VIrtus, ſiue Honeſtas, hominem decet, & ornat; eſt tamen iuxta ætatem diſtinguenda. Nam Prouerbiū eſt: *Alia vita, aliam diætam, alios mores poſtulat.* Non enim eadem conducunt pueritiæ, quæ adoleſcentiæ, deinde alia competunt Iuuentuti, alia Virilitati, alia Senectu-

Senectuti, alia ætati decrepitæ; Vt enim ætate mutatur natura: Ita & cum ætate mores ſunt variandi; Sunt autem quinque ſtatum differentiæ, ſcilicet Adoleſcentia quæ ſubſe continet Infantiam, Pueritiam, Pubertatem, & Adoleſcentiam ſpeciatim dictam; Iuuentus, Ætas virilis, ſenectus, & ætas decrepita, quarum quælibet habet ſua officia, & mores, vt ſequitur.

DE ADOLESCENTIA,
& Primo
De Infantia.

INfantia prima eſt ætas hominis poſt natiuitatem; ſic dicta, quod nõ fari poteſt. Illi nulli poſſunt mores præſcribi, ſiue virtutis, quia nondum eſt rationis compos, neque linguæ habet vſum, neque intellectu vtitur. Ideo ſolum nutricis, ſiue matris inſtructione viuat, oportet.

Sequitur Pueritia, quando, ſcilicet

licet Infantes loqui incipiunt, non dum habentes plenũ rationis vſum. Dicti ſunt Pueri fortè à Bua, id eſt, potione puerili, quam Buam vocant, verba prima proferentes imperfectè, ſine prudentia, ratione, & intellectu. Hi ſunt docendi per parentes, vt honeſtè viuere incipiant: hiſce moribus, ſcilicet vt Deum agnoſcant, & colant, tanquam Creatorem omnium, honorem debitum conferant Diuæ VIRGINI MARIÆ, & Sanctis, tanquam intercesſoribus, & Patronis, vt optime Conſulit Hermannus Buſchius in carmine, quo hortatur pueros ad virtutem. Sint obedientes Parentibus, ſenes reuereantur, à ludo, & prauorum conſortio abſint, ne vitijs maculentur, priuſquam ratione rectè uti inceperint, quo nihil poteſt eſſe odioſius, teſte Apul. Puerum quis non oderit, cum uideat ipſum uelut monſtrum quoddam, prius robuſtum, & ſcelere plenum, quàm ætate; prius nocentem crimine, quam corpore poten

tem, paruum annis, ſed magnum malitia; nondum tamen perfecta prudentia, in puero poteſt exigi, aut haberi, cum in ipſo dominetur mentis imbecillitas. Ideò, & puppis ludit, & equitat in arundine ob id tamen ei indulgendum nimium non eſt, nè ad vitia inclinetur, & flectatur, ſemperque morbidus maneat. Nam quod teneris in annis imbibitur, vſque ad ſepulchrum retinetur, quod agnoſcens Horatius dixit.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu ——

Quare inſtruendi ſunt diligenter in his præceptis, vt tradit Philelphius lib. 8. de educatione liberorum, ſcilicet vt Deum colant, obedientes ſint, & in verbis, moribus, corpore, ac veſtibus ornatum habeant. Non ſint loquaces, non mendaces, non pigri, non immundi, ſed modeſti, ſed agiles, lepidi, veſtibus bene ornati.

Septimum annum vbi attingerint Pubertatis ingrediuntur limitem; atque adeò rationis fiunt capaces;

paces; vnde Præceptoribus committendi; vt moribus, & virtute imbuantur. In hac ætate fugienda est, secundum Quintilianum lib. 1. cap. 3. mollis educatio. Educatio enim illa mollis, inquit, corrumpit & corporis, & ingenij neruos. Quid igitur adultus faciet, qui in purpura repserit? Delicatè autem in ista ætate qui aluntur, omni in vita lautitias expetunt: quas si consequi nequeũt, quantum cupiunt, laborant per fas, & nefas suo palato delicatè satisfacere; & tandem in otium, ludum, & furtum, ac omne malum ruunt. In hac ætate Pueri Romanorum Bullam, quam in collo gesserunt ab Infantia, foribus suspenderunt in templum, tanquam pueritiæ renuntiantes, & in posterum exuere volentes mores illos, quos pueri habuissent.

Suxcedit Adolescentia speciatim dicta, quæ incipit à decimo quarto anno. In qua altioribus scientijs instruuntur, in hac ætate viribus fiunt apti, vt parẽtibus oppituletur, expedire nanq; possiunt negotia cõmissa,

& ad labores nonnullos ferrè opē, & manum admouere. In hac ætate apud Romanos toga Alba, & Candida induebantur, cum purpura prætexta, vel præposita, in exemplum Vitæ candidioris, melioris, & honestioris, vt togæ albedinem aspicientes, fugerent vitia, quæ animos denigrant, & alijs odiosos reddunt, purpuræ splendorem videntes, cogitarent, & conarentur, vt sic eorum splenderet vita honestis moribus, quo omnibus grati existant.

Erunt autem hæc officia Adolescentum, In primis Deum venerari Orationibus, & corde puro. Deinde Parentes; proximè Præceptores. Illis tribus auscultare, ac fugere quę prohibent, exequi quod præcipiunt. Dei mandata discant, audiant, quærant, & exequantur. Quod autem tribus his obsequendum sit Adolescenti facile patet. Nam ab ipsis pendet vita nostra, à Deo animam accepimus, à parentibus corpus, à Præceptoribus animæ instructionē, per quam vita nostra differt à bru-

tis.

tis. Ideò vt simus grati, ipsis est obsequendum.

Hæc ætas dicitur Ephæbia, quia illis annis imberbes sumus, sicuti olim Phæbus, id est Apollo in templis Gentilium stabat sine barba, vt ait Valer. Max. in lib. 1. De neglecta Religione, de Dionysio Tyranno Siracusano. Hoc tempore homines pollent viribus valent ratione, inter virtutem, & vitia discernere possunt, magis tamen ad vitia flectuntur, quam ad Virtutem.

Nitimur in vetitum semper cupimusq; negata.

Ac tum prius cognoscitur cuiuslibet natura, ad quid scilicet inclinatus sit: Nam antea agnosci non potuit, propter ætatis imprudentiam; Facti enim Adolescentes (vt inquit Terent. in And.) Animum ad aliquod studium applicare. equos alere, canes aduenerandum, præparare, & Philosophorum nodos, argumentaque intelligere, ac enodare incipimus; His etiam Horatius consentit in Arte Poetica.

Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,

Gaudet equis canibusq; & apici gramine cāpi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.

De Iuuentute.

SVccedit Iuuentus, quæ ſecunda ætas eſt, Incipit ab anno decimo octauo. Anno autem decimo octauo primæua creſcit barba, & tum dicuntur ſex Adoleſcentia Ephæbea excedere. In omne genus vitiorum hæc ætas hominem præcipitat, in otium, ludum, inobedientiam, crapulam, luxuriam, ſcortationem, ſuperbiam, prodigalitatem. Sua inaniter dilapidant, nihil ſoliciti poſteræ vitæ, vt omnes teſtantur Comediæ; quæ nihil aliud de Iuuenibus dicunt, quam quod ſua fornicibus, & conuiuijs infundunt.

Quo-

Quomodo à parentibus, vel Prçceptoribus Iuuenes ſint ad virtutem, & honeſtatem ducendi.

CVm igitur hæc ætas præter omnes alias ætates maximè ad vitia ſit procliuis: in dieſque magis in ipſa excitetur libido, inſtar iuniorum hinnulorum, quos iuuentus titillat: ideo ſunt frænandi Iuuenes, aut à parentibus, aut à præceptoribus, non ſecus ac equi indomiti ab inſeſſore calcaribus domantur. Quatuor autem præceptis, parentes, vel præceptores ipſos adoleſcentes ad bonam frugem ducere debent; ſcilicet, inſtructione, monitione, promiſſione: vltimò blanditijs, & minis.

Inſtructio Sex conſtabit præceptis.

PRimò doceantur Iuuenes, Deum eſſe adorandum, & venerandũ

in primis, & ante omnia: qui cuncta creauit, pascit, & conseruat: nihil mali impunitũ relinquens, nihil boni irremuneratum: bonis dans præmium æternum, malis supplicium perpetuum: sine ipsius gratia, & fauore, nihil posse nos homines, neque momentum quidem viuere: ideo cauendum, ne peccatis ipsum offendamus.

Secundò, Non esse confitendum in bonis terrenis, præsertim non in corporis pulehritudine. Nam forma corporis est admodum fragile bonum; ideò Virg. dixit Eclo. 2.

O formose puer, nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadũt, vaccinia nigra leguntur.

Neque doleant, si corpore sint deformes: sed laborent, vt pulchri fiant animo. Nam, vt inquit Franc. Petrarcha, in libro de aduersa fortuna. Pulchrius est pulchrum fieri, scilicet scientia, & Virtute: quam pulchrum nasci, scilicet corpore. Hoc præcepto Socrates instruebat suos discipulos, iubens eos sæpe inspicere speculum, vt si viderent se

cor-

corpore formosos, laborarent animo corpòris formositatem adęquare. Corpus enim animum concludens inquinatum sepulchrum est prætiosum, & venustum continens cadauer putridum. Ideò CHRISTVS, in Euangelio Matth. 23. Phariseos vocabat sepulchra dealbata: quod apparerent religiosi, ac boni, sed intus lupi essent rapaces. Sin corpore essent deformes, iussit Socrates, vt, & animi quærent pulchritudinem scientia, & virtute, tanquã nobiliorem longiusque durantem, quam corporis formam.

Tertiò, Neque in diuitijs, opibus, siue pecunia spem ponant: sed in sola scientia, ac virtute, confidant se diuites, & felices futuros: nam solum doctum, & sapientem verè esse diuitem, Diuitias perire citissime; multos nanque quondam fuisse ditissimos: sed breui tempore factos esse infortunatissimos, vt legitur de Cræso rege Lydorum opulentissimo. Diuitias non esse dignas, vt amentur, tanquam bona

pretiosa. Nam Cicero refert quarto libro nouæ Rhetoricæ, si voles diuitias comparare cum virtute: vix satis idoneæ erunt, vt sint virtutis pedissequæ siue ministræ. Ideò Iuuenes, dum ingenium viget & ætas, comparent sibi viaticum ad senectutem, sciiicet virtutem, & scientiam. Per illa enim in senio acquiritur honor, Salus, Laus, & Virtus, Quare Thales Milesius Philosophus olim quæsitus, quid Iuuenes discere deberent, respondit: Illa quibus in senio essent vsuri indicans Virtutē, & Scientiam.

Quartò, quicquid nocere alijs viderint, vel alios vitiare, illud ipsi fugiant, & per aliorum damna, sapere incipiant, & vitam suam in melius conuertant, ac instituant. Quæ autem alias vitiant, & alijs incommodant, sunt hæc, Inobedientia, Mendacium, Garrulitas, Infedelitas, Improbitas, & Ludus, vbi magno pretio Luditur, Scortatio, Ebritas, Prodigalitas, Otium, & prauorum Societas.

Quin-

Quintò proponantur ipſis exempla bonorum, & malorum hominũ, & dicatur vita & finis ipſorum: malos malo eſſe donatos præmio, bonos autem bono. Hinc veteres Romani Iuuenes in principio Iuuentutis induebant toga virili, vt paulatim inciperent, ac tenderent ad vitam viro honeſto dignam: deinde ducebantur ad publicum forum, nimirum vt agnoſcerent, & viderent communem hominum vitam eſſe, duplicem, Vitioſam ſcilicet, & Virtuoſam: Vitioſam malum ſortiri exitum, & finem, ſed virtutoſam, primò eſſe arduam: tandem tamen præmio donari bono, & perpetuo. Ideò Hercules quondam factus Iuuenis elegit ſeruire virtuti per laborem, ſciens poſt laborem ſequi præmium, quam vitijs ſeruire per otiũ, vt de ipſo ſcribit Cic. 1. offic.

Sextò, exerceantur labore, & fatigatione; non otio dediti eſſe patiantur, ne in libidinem in honeſtam cadant. Nam teſtante Ouidio

Quæritur Aegiſtus, quare ſit factus adulter,

---In promptu causa est desidiosus, erat.
idem
Otia si tollas, periere cupidinis artus.

Ideò veteres Romani suos liberos exercebant dimicando, pugnando, natando, & omni alio exercitiorum genere. Quamobrem Iuuenes indesinenter, ac indefesse in artibus liberalibus sese exerceant; mutuo ad disputationem in quadam scientia promoueant: hic disputationem sustentet, ille doctis implicitisque tricis contra conclusioné sustinendam opponat: Quibus placet venatio, canibus bene cõsulant; quibus equitatio, equis bonum apparatum applicent, sæpius stabula adeant, ne quid desit videant. His, & similibus exercitijs otia facillimè superabunt iuuenes, & omnem membrorum torporem excutient, & se ad viriles labores suscipiendos facilius inclinabunt, & tandem sic Deo, Hominibus, ac sibimet ipsis vitam gratissimam perducent.

De

De Monitione.

SEcundò Tenentur ex lege tum Diuina, tum Humana Parentes, & Præceptores admouere Iuuenes dum eos in errore deprehendunt, vel percipiunt illos aliquid perpetrare, vel perpetrasse, quod honestatis legibus repugnat: idq; primò verbis, ac rationibus, quibus ad virtutẽ perduci, & à vitio auocari possunt, sed quandoquidem iuxta illud vulgare prouerbium,

Verba trahunt exempla mouent ——

Etiam exemplis vtendum est, ostendendo Proauos, Cognatos, Agnatos, imò parentes ipsos semper virtutis fuisse amatores, vt bene Ænea 12. Aeneidos ad Ascanium puerum suum, dixit.

Disce puer virtutem ex me verumq; laborem;
Fortunã ex alijs, numen te mea dextera bello
Defensũ dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox cùm matura adoleuerit ætas,
Sis memor ——

Adiungantur non vnquam exem-

pla

pla eorũ qui bene agendo ſummum honoris culmẽ aſcenderunt qui vero ſecus, qualem quantamque incurrerint ignominiæ notam: Vt ſic viſis aliorum honoribus ad illos imitandos alliciantur, & perſpectis è contra aliorum, qui ſcelera perpetrarunt, calamitatibus ab ipſis vitijs abhorreant.

De Promiſſione.

TErtiò, Promittatur eis, ſe magna accepturos præmia, & à nobis & vbiq;, & ſemper, ſi virtutẽ fuerint ſecuti, vt in Epiſtolis inquit Horatius.

I bone quò virtus tua te ducit, i pede fauſto,
Grandia laturus meritorum præmia.

Pergite ò Iuuenes, quò virtus vos ducat, magna accipietis virtutis præmia: omnia enim adſunt illi, qui virtutem habet teſte Plauto in Amphitr. Comœdia.

De Blanditijs, & Minis.

SIcuti piſces hamo capiuntur, ita homines blanditijs, & quam maximè hæc ætas inter quas blanditias laus magnopere excellit: Nam vbi vident ſe laudari maius accipiunt ad virtutem calcar, quod benè in 5. Triſ. teſtatur Ouidius.

Deniquè non paruas animo dat gloria vires,
Et fæcunda facit pectora laudis amor.

Omnis enim, vt inquit Cic. trahimur, & laudis cupiditate, & amore. Quintillianus quoque iubet laudare Iuuenes, ſaltem ad bonam frugem proficientes.

Sin deſides fuerint ad virtutem, & honeſtatem amplectandam, neque pia audierint monita tum minis agendum eſt: deinde, & verberibus, teſtimonio Cic. lib. 4. nouæ Rhetoricæ, ſic dicentis. Qui Iuuenum peccatis ignoſcendum putant, falluntur: propterea quod ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudijs, apti ſunt ab bona diſcenda, non minus

quam

quam mala. At hi ſapientèr faciunt, qui iuuenes malè volentes maximè caſtigant, vt ijs, quibus omnem vitam poſſint tueri, ea in ætate Iuuenili ſibi comparent. Talia Cic.

De Iuuenum officijs.

IVuenum officia ſunt varia. Primò deliberare debent de vitæ ſtatu eligendo, cuius per totum vitæ decurſum fruges colere poſſint, debent autem homines inquit Seneca. Viaticum ſenectutis literarum eruditione parare diſcendo ne defecerint inſipienti animo: literas tanquam baculum infirmo corpori repertas eſſe: eundem eſſe finem diſcendi, qui & viuendi exemplo Herculis, qui in Iuuentute ſimile feciſſe legitur: & more Romanorum, qui Iuuenes ineunte iuuentute, in forum publicum ducebant indutos toga virili, vt nuces ſpargere inciperent, quibus diù luſiſſent: exuerunt prioris ætatis ſtultitiam auſpicarentur vitam, quæ homi-

hominibus commendaretur. Oportet enim hominem viuendi honestatem non excedere cui inter homines vita agenda est; sed inter deliberandum præomnibus obsequantur inspiranti Deo; *Sapiens corde est, & potens robore: quis resistit ei, & pacem habuit?* Iob.9. Deinde ea quæ inspirata sunt sciat esse secundum Dei voluntatem, *Voluntas autem Dei* est salus, & *Sanctificatio nostra*, nec tantum qualiscunque, sed certior, sed abundantior. 1. Thess.

Secundò, teste Cic. 1. Officiorum est, maiores natu vereri, & ex illis eligere optimos, & probatissimos, quorum consilio, & honestate suam instituant vitam. Temperet sibi à libidine, & omni stulta cupiditate: exerceat se labore, & patientia animi, ac corporis, vt & in bellicis, ac ciuilibus officijs fiat aptus, & cum animum recreare vult, & dare se iucunditati, caueat intemperantiam; recordetur verecundiæ, non sit nimis prodigus, & lasciuus, sed verecundus, præsertim in illis

rebus

rebus in quibus vult adesse natu maiores. Hæc Cic. Præterea in loco, & tempore cogitent iuuenes, se homines esse. Adeòque bonos mores ipsis cōuenire cogitent se ætate esse prouectiores, quam pueros, vel adolescentes, & propterea caueant puerilia tractare: ne ætati suæ iniuriam inferant, recordentur denique se neque viros esse, neque senes, vt non imaginentur, se omnem disciplinam superasse, nullaque indigere instructione.

De Ætate Virili.

TErtia ætas dicitur ætas Virilis, dum iam matura, ac adulta est in homine ratio, sic vt aliorum consilio non facile egeat. Hæc est sola, & vnica ætas virtuti, & honestati plus accomoda; nam, & ratione viget, & corpore valet. Ab huius ætatis nomine nempè à viro, primitus est virtus denominata. Dum enim huic voci, *Vir*, additur sylla-ba, *tus*, fit dictio *Virtus*. Sortita autem

tem eſt nomen *Virtus* à Viro, eo quod ſolus Vir aptus ſit miniſter, & cultor Virtutis, eumque ſolum præ omnibus in omni perfectione deceat.

De Viri Honeſti Vita.

VIri vita tota honeſta eſſe debet, & omni virtute onerata, nam non agit vitam verè honeſtam ille in quo non omnes virrutis ſimul concurrunt, ſed aliqua deficit; ſit igitur Vir Prudens, Iuſtus, Temperans, & Fortis. Prudens ſit, vt prudentèr quelibet agat, verborum, & factorum recordetur præſentia rectè diſponat, futura præmeditetur, & præuideat iuxta illud.

Quicquid agas, prudenter agas, & reſpice finē.

Nam turpe eſt, vt inquit Cic. poſt finem dicere: Non putaram. Ideo Terent. in Adelphis dixit. *Iſtud eſt ſapere, non quod ante oculos eſt ſolum videre, ſed quæ futura ſunt, proſpicere.* Temperans ſit in omnibus rebus, ſcilicet modum ſeruans; Modeſtus, pudicus,

pudicus, moderatus, parcus, & sobrius.

Fortis, sit non corpore, sed animo, non timidus, & pupilli animi, in aduersis rebus, non desperet, nec succumbat; non commoueatur subitò, aut perterreatur, sed magno sit animo, vtcunque res ceciderit. Præsertim tamen cupiditatem, & iram frænet. Non stulta cupiat, vt pueri; iratus, nihil faciat. Ideò Plato quondam quæsitus, *Quis hominum esset fortior?* respondit, *Qui propriam iram vincere potest*. Nam

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
Mania ——

Insuper Vir honestatis cupidus, hæc duo obseruet præcepta. Primum curet vt talis sit, qualis haberi cupit. Nam teste Cic. 2. offic. Socrates quondam dixit; *Breuem esse viam ad gloriam, si quis studeat talis esse, qualis haberi vult ab alijs*. Secundum, laboret, ne famam perdat, ex hoc præcepto Ouidij.

Omnia si perdas, famam seruare memento,
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Vt

Vt autē quilibet hoc poſſit, ſequatur hoc præceptũ Horatij in Epiſtolis.

Inter cuncta leges, & percontabere doctos.
Qua ratione queas traducere leniter æuum.

De Senectute.

QVarta Ætas, eſt Senectus; cui etati propria eſt Prudentia, quam, vel longo vſu, vel ſcientia, vel experientia ipſi ſenes ſunt conſecuti. Quare ipſorum officium eſt (inquit Cic. 1. officiorum) Iuuentutem, Amicos, & Rempublicam, Conſilio, ac Prudentia adiuuare. Ideò Romulus primus conditor Vrbis Romæ, centum Senes (teſte Liuio) elegit, qui Vrbi, & conſilio, & Prudentia regendo præeſſent. Vnde nil mirum à ſenibus (teſte Cic.) dictus ſit *Senatus*, quaſi *ſenum Collectio, & Congregatio*, quod ipſi ſenes Rectores Vrbium eſſe debeāt, ac iunioribus eſſe exemplar honeſtatis. Ideò ipſis honor exhibendus, tāquam prudentiæ ſimulachris, honeſtatis, ac virtutis poſſeſſoribus, & doctoribus.

De

De Ætate Decrepita Quinta, & vltima Ætas.

EST ætas Decrepita in qua homo iterum quasi puerescere incipit, & ad nulla publica munia administranda aptus esse videtur. In hac ætate ipsius est auaritiam, quæ maximè tunc temporis in ipso dominatur euitare, & cogitare, quid sibi velint Cani isti capilli in capite, & corpus decrepitum; nempè vt graues, & bonos habeant mores, & recordentur se in dies ad mortem accedere, ac sepulchro imminere; Vnde sæpius aspiciat vrnam, corpus flectitur terram versus, quo sciat se mox eandem ingressurum. Quare mundi gaudia, & delectamenta deserat, mortique se se accingat. Hoc Horatianum verbum mente reuoluens.

—— Lusisti satis, atque bibisti,
Tempus abire tibi est, ne potum largius æquo
Rideat, & pulset lasciua decentius ætas.

Igi-

Igitur cum intelligat aliquem hoc mundo abijsse, sibi proponat ipsi terminum peregrinationis suæ esse post aliquot dies accedendum, qui si bene, ac virtutibus instrustus vixerit, ipsi futurus est felicissimus.



CAP.

CAP. IV.

QVÆ ERGA DEVM, ſeipſum, & alios deceant.



Irtutis cognitio, & honeſtatis nihil aut parum prodeſt, niſi in actum deducatur. Nam refert Cic. in Officijs. Quod omnis laus virtutis, non in cognitione, ſed in actione conſiſtat. Et in lib. de Amicitia ait; Tùm virtutis præmium, & fructus maximè capitur, cum in proximum quenque confertur. Digerenda autem eſt virtutis actio ad Deum ſeipſum, & alios. Nati nanque ſumus in obſequium Dei, & hominum, ac noſtri ipſius cognitionem, alia tamen erga Deum, alia erga nos, alia erga alios decent.

ERGA DEVM, Quid deceat.

HOnestas erga Deum consistit in Dei cultura, siue religione; Teste enim Lactantio lib. 3. seruiendum est Religioni; quam qui non suscepit, ipse seipsum prosternit in terram: sequitur vitam pecudum, & ab omni humanitate se abdicat. Omnis enim Sapientia in hoc vno est, vt Deum cognoscamus, & colamus, seruire autem Deo, nihil aliud est quam bonis operibus tueri, & seruare Iustitiam. Quare, si quis hominem, qui verè sapere desiderat, interrogaret cuius gratia natus sit, respondit, intrepidus, ac paratus; se colendi Dei gratia, natum esse qui nos ideò generauit, vt ipsi seruiamus. Hæc Lactantius. Ideò veteres illi Romani diligenter, & religiosè seruabant deorum culturã, vt indicant Valerius, & Liuius vbique. Sed non sola Dei cultura sufficit, nisi etiam timor ipsius adsit, qui

enim ad veram ſapientiam peruenire cupit Dei timorem præſentem habeat. teſte Salom. Prouerb. *Initium Sapientiæ timor Domini*. Timor ergo coniunctus cum vera Fide, Spe, & Charitate, ſola hominis ſapientia eſt; ſic homo nulla expaueſcet pro religione ſubeunda pericula, iuſtitiam colet, nullis minis, aut blandities flectetur, vt Horatius.

Iuſtum, & tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor praua iubentiam
nec vultus inſtantis tyranni
mente qua ſit ſolida, &c.

Erga ſeipſum.

POſt Deum, quæ nos deceant perſpiciendum, quæ vt breuibus complectar, vbi Luxuriam, ac ſuperbiam effugerimus, magnam erga nos ipſos obtinuimus victoriā. Sic ſemper actus iuſtitiæ exercebimus, & rectè faciemus, prout Lucas 1. Cor.9. Imperat: erga proximum, miſericordiam erga teipſum ſeueritatem exerce; nunc quæ deceant alios aggrediamur.

Erga

Erga Alios.

HOnestas erga Proximum etiã se extendit, nam teste Lact. lib. 6. Primum officium Iustitiæ est coniungi cum Deo: Proximum, cum homine. Et CHRISTVS in Euangelio præcepit. *Dilige Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut teipsum.* Hominibus homo debet esse Deus, misericordia, Humanitate, Pietate, vt Lucas loco citato: præstare auxilium depressis, & laborantibus, impertiri victum non habentibus, vt inquit Lactantius. Quid autem cuilibet homini debeamus, sequentia indicabunt.

Erga Patriam.

INter homines, primum locum ocupat Patria: quam veteres Philosophi, (vt inquit Philelphus lib. 4. de liberorũ educatione) præposuerunt ipsis Parentibus, quod scilicet plus obstricti essemus Pa-

triæ, quam Parentibus. Nam (inquit Cic.) non solum, nobis nati simus ortusque nostri partem Patria vendicat, partem amici. Et (Herocles sic ait.) Post sermonem de patria maximè conuenit docere quales in patriam esse debeamus. Est enim patria per Iouem, velut alter quidam Deus, & primus maximusque parens. Quare qui nomen ei imposuit à re ipsa non temerè patriam nominauit, vocabulo quidem patre deducto pronunciato tamen fęminea terminatione, vt ex vtroque parente mistũ esset, atque hæc ratio insinuat patriam vna ex æquo duobus parentibus colendam esse. Præferenda igitur omnino est patria, vtriuis parentum seorsim, & ne simul quidam parentes ambos maiores fieri, sed æquali honore dignari. Est autem & alia ratio quæ non tantum æquali sed maiori etiam, quam simul ambos parentes honore patriam afficere monet, neque solum ipsis eam præfert sed etiam vxori liberis, & amicis, & absoluto
ser-

ſermone rebus alijs omnibus poſt Deos. Hæc Plato dixit, quod partem ortus noſtri patria ſibi vendicat, nati enim ſumus, vt patriæ pròſimus.

Quinque autem rebus, vel ciuibus patriæ prodeſſe poſſumus. Primò, laborare pro ipſius honore, & laude, in hoc quod conamur tales fieri, eſſe, & perdurare, qui patriæ olim ſimus honori, & ipſa nobis laudem, & honorem attribuat. Secundò ipſam inſtruere prudentia, & Conſilio, ſi indocta eſt, & inſipiens; docere ignorantem, noſtri muneris erit. Tertiò ſemper ſtudere communi commodo: vt Patrio etiam ſolo exiſtamus grati, quod nos genuit, aluit, & educauit. Quartò, defendere eam, & prudentia, & viribus, vbi occaſio, & neceſſitas poſtulauerint. Quintò, etiam ſi opus fuerit, & aliter defendi non poſſet patria, parati eſſe debemus, vt pro ipſius defenſione libẽter moriamur; & hæc mors honeſtiſſima æſtimatur. Quę omnia Plato in Cretone be-

nè comprehendit sic inquiens : An sic es sapiens, vt te latuerit, & patri, & matri, & progenitorib. omnibus patriam esse anteponendam? Atque esse venerabilis quiddam sanctiusq; & in superiore sorte tũ apud Deos, tum apud homines mentis compotes esse patriam collocandam, colereque eam oportere magis, eique obedire, ac rigidius se gerenti mitius assentiri, quam patri, & si quid iubeat, vel dissuadere illi quantum liceat, vel facere, & patientissimè sustinere, quidquid iusserit patiendum? ac siue mandarit verberari te, siue in vincula conijci, siue in prælio miserit ad vulnera accipienda mortemque subeundam, obediendum est omnino: ius enim ita dictat, neque tergiuersandum, neque fugiendum, neque ordinem deferendum, sed & in bello, & in iudicio, & prorsus vbique ea sunt, quæ Respublica patriaque iusserit, facienda, aut certè verbis, quatenus iustum est. Vt licet ad persuadendum illi, eamque placandam. Vt autem nefas est, vel

con-

contra matrem, vel contra patrem, maxime verò omnium contra patriam; hactenus Plato, Quod verò mors pro patria ſuſcepta ſit honeſtiſſima, nobis perbellè declarauit Horatius

Dulce, & decorum eſt pro patria mori.

Id, & multi gentium fecerunt, vt apud Liuium, & Val. Max. videre eſt.

Erga Parentes.

POſt Patriam, colendi, ac venerandi ſunt Parentes, vt ſacræ, ac prophanæ iubent literæ. Hos verò, vt ritè colamus; Quinque erga illos honeſtatis officia exhibere debemus. Primum, obediendo ipſis in rebus honeſtis. Secundum inſeruiendo ipſis, in eo in quo poſſumus. Tertium honorando eos, & verbis, & factis, ipſis non maledicamus, vel obloquamur. In factis, geſtu, nudo capite, ac flexis genibus eos accedendo. Quartum, ipſos ornando, ſcilicet per profectum noſtrum in virtute, & ſcientia, vt ipſi quan-

doq; à nobis honorem habeant coram alijs, non degeneremus ab ipsorum moribus, probis, & vita, vt obsequamur Horatio asserenti

—— nec imbellem
Progenerant Aquilam columbam.

Quintum, alendo eos præcipuè, si inedia, aut senio, fuerint confecti, id namque solent, & bestiæ, præsertim Ciconiæ, quæ parentes senes alunt, & alis veteres sustentantes trans mare portant. Et Cicero in lib. Orationum inquit; Quod pietas nihil aliud est, quam humanitas erga parentes. Franc. Philel. lib. 4. de educatione liberorum, cap. 3. sic inquit de off. filiorum in parentes. Quod licet nunquam parentibus poterimus par pari referre; tamen quoad nobis licet, efficiamus, officiose eos tractemus, assiduè concomitemur, hortantibus faueamus, mandantibus pareamus, voluntates eorum, & deliberationes, siue morandum, siue obeundum siue nubendum sit, tanquam diuina verba, & iussu probemus, & suscipiamus,

iratis

iratis non reſiſtamus, comminantes, & perterrentes patienter ſuſtineamus. Dum autem iubent in honeſta, & illicita, reſpuamus, ſed leuiter, verecundè, abſque vlla execratione vel maledictione. Hæc Philelphus.

Quomodo illis ſucceſſit qui Parentibus non auſcultarunt.

CVm natura nos doceat & ipſe Deus præceperit Parentes honorandos eſſe, imò qui ſecus fecerit cum vitæ breuitate minetur; Quid mirum, ſi ijs, qui ſecus fecerint, malus ſuccedat exitus vt enim veterum voluamus volumina, aſpiciamus Oreſtem Græcum, qui Matre ſua Clytemneſtra occiſa, verſus eſt in furiã: Neronem Imperatorem Romanũ, qui, poſtquam Matrem trucidauerat, ſeipſum fugiendo pugione peremit. Olim in Vrbe Romana parricida grauiſſima pęna plectebatur,

includebatur sacco ex coiro facto, cum cane, serpente, & gallo gallinaceo, & tum in profundum maris proijciebatur; Indicantes etenim Romani illum, ne terra quidem, quæ omnium communissima mater est, qui paricidium perpetrauerat dignum esse.

Erga Præceptores.

SEquitur, vt quo modò Præceptores sint colendi exponamus; Nam Præceptores sunt alij, vel alteri parentes. Ideò Gentiles præceptores voluerunt haberi loco parentum (vt inquit Iuuenalis in Satyris). Ipsi nanque præceptores sunt parentes animorum. Dant nanq; vitam animorum, scilicet virtutem, & scientiam, ac honestatem: parentes autem solum corporis vitam præbent. Sunt igitur præceptores proximi parentibus, & non multò minus ipsis reuerendi. Compertum enim est vt inquit Philelp. lib. 4. cap. 7. eos qui præceptores suos coluerunt,

runt, ad magnam gratiam literarum peruenisse. Inter quos fuit Traianus Imperator, ab omnibus suo tẽpore commendatus ob virtutem. Hic præceptorẽ suum Plutarchum summè est veneratus. Marcus Antonius Romanus, omnium principum sanctissimus, suis præceptoribus aureas imagines in domo sua statuit. Cicero eloquentiæ latinæ Princeps factus, quia ipso in Romano sermone nullus creditur eloquẽtior fuisse, præceptores suos nominatim celebrat in libris suis. Et quotquot vnquam eruditionis, honestatis, & dignitatis culmen, ac fastigium attingerunt, præceptores suos coluerunt, amauerunt, & laude sunt prosecuti.

De His qui debitum Præceptoribus, honorem non conferunt.

PRæceptores suos, qui contẽpserũt (inquit idẽ Philelph.) ignari, & turpissimi semper extiterũt. Inter

quos Nero Prĩcipatũ tenet quẽ propter nimia flagitia omnes occupant scriptores. Hic præceptorem suum Senecam interemit: Beroaldus in Oratione Prouerbiali inquit: Qui obtrectatione præceptoris famam sibi quærit, infamiam inuenit, & in omni proborum coetu contemnitur, & exploditur, tanquam improbus; formidatur vt vipera, fitque odium publicum, non secus, quam qui parentibus maledixerit: Etenim præceptor est animorum parens, & formator: quem nisi omni honore prosequamur, nisi vbique locorum, vbique hominum honorifica commendatione laudemus, impij, nefarij, & scelerati merebimur nuncupari. Hæc Beroaldus; nam parentes præbent vitã præceptores quod vitam benè peragamus.

Officia erga Præceptores.

ERunt igitur hæc officia quatuor in Præceptores exhibenda. Primum, vt ipsos perinde, ac Parentes ame-

amemus. Secundum, ipsis in honestis pareamus, ac obediamus, eorum iussa capescentes. Tertium nè ipsis ingrati existamus, sed semper dum viuimus actus gratitndinis in illos ostendamus. Quartum, laboremus vt scientia ipsis quandoque fiamus, aut pares, vel si fieri potest, etiam maiores. Istud pulchrum est certamen discipulis, vt præceptorem, aut scientia assequamur, aut etiam superent, & excellent. Sic multi suis professoribus olim facti sũt peritiores, vt Beroald. gloriatur, non nullos sibi olim fuisse præceptores, in quorum tandem sedisset lectorio; Quod etiam patet in Sanct. Thom. Aquinatæ, qui Professorem Albertum Magnum habuit ipsi postea non impar extitit.

Erga Cognatos, & Agnatos.

ERga Cognatos, & Agnatos, à Patre siue Màtre nobis sanguine coniunctos, simul & in fratres, & sorores

sorores quales esse debeamus, facile ratio naturæ nobis dictat: vt scilicet tales erga ipsos simus, quales, & nobis esse velimus. Diligamus ipsos vt nosmetipsos. Sunt enim nihil aliud quàm quasi alij nos; nostri sunt sanguinis, nostræ stirpis, & progeniei nostræ partes, ac membra. Quare eos non secus habeamus quam nostri corporis membra propria: vt quicquid toti nostro corpori, imò, & nobis fieri non volumus, etiam ab illis depellamus, secũdum illud præceptum, *Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris*. Alioquin meritò ingrati habebimur. Vt qui vni sui corporis parti plus faueret quam alteri, meritò insipiens æstimaretur: Sic, & dignè ingratus dicetur, qui progenie sibi iunctis non adest auxilio, & consilio. Hæc Lex naturæ nobis dictat, & præcepit. Et in Euangelio Christi præceptum est. *Proximum esse diligendum, ac seipsum*. Verè autem proximi nostri sunt, qui sanguine iuncti sunt.

Erga

Erga Amicos.

MAximo in prætio Amici habẽdi ſunt; Vnde, quæ erga illos deceat honerandi conſuetudo, abundè decent ſcripta eruditorum; præſertim Ciceronis in lib. de Amicitia. Sunt autem præcipuè Sex Leges erga Amicos obſeruandæ.

Prima (vt Cic. refert) ab Amicis non rogemus turpia, ſed honeſta: Amicorum gratia non turpia faciamus, ſed ſola honeſta.

Secunda, In proſperis rebus amicis congratulemur, collætemur ipſis ſi quid boni eis acciderit, non ſecus, ac ſi nobis contigerit. In aduerſis è contra eis condoleamus, conſolemur ipſos conſilio, & auxilio, & non deſeramus more hirundinum, quæ (vt refert Cic. lib. 4. nouæ Rhetoricæ) Æſtiuo tempore præſtò ſunt, ſimul atq; viderint fortunæ hyemem, deuolant omnes.

Tertia, Sit nobis idem velle, & nolle cum amicis, eadem ſtudia, & dele-

delectatione. Nam disparia studia, & dispares mores, separant, & frangunt amicitiam; teste Cicerone in lib. de Amicitia, & Horatio in Epistolis.

Quarta, Non aliud amico faciamus, quam nobis ipsis fieri velimus. Nam secundum Ciceronem; Amicus, est quasi alter idem. Et amici sunt cor vnum in duobus pectoribus, ideò eos amore amplectemur, ac nos ipsos. Laboremus amando ipsos vincere, & non vinci ab eis, si fieri possit, sed semper par pari referamus.

Quinta; Amicitiam præstandam præcepit Cicero, non spe mercedis, vel commodi, vt vulgus solet: Quod commodo cessante, simul, & fauorem mutuum supprimit: Sed solo amore colenda amicitia est; nam hic solus, & verus est amicitiæ nodus, qui in æternum est duraturus; sic paratiores erimus tribuere quoddam amicitiæ vinculum, quam ab ipso exspectare.

Sexta Lex, & Vltima est, vt obsequia

ſequia ſæpe præſtemus amicis: quia teſte Terentio; *Obſequium parat amicos*. Deinde, & præſtita non obijcere quibus contulimus: Cicero enim inquit *Odioſum eſſe genus hominum officia exprobrantium*; Quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare qui contulit; libro quoque XI. veteris Rhet. inquit idē Cic. Impudens eſt ille, qui pro beneficio non gratiam, ſed mercedem poſtulat. Sin in nos ab amico fuerint exhibita obſequia: iubet Cicero in officijs, vt ſequamur agros fertiles, qui plus reddunt, quam acceperunt à ſeminante. Sic in amicitia, ſi poſſumus plus reddamus, quàm nobis collatum eſt: vel, dicamus nos eſſe inſolubiles plane, ac æternum ipſis deuinctos: velle tamen gratos eſſe, ſi vnquam fortuna nobis arriſerit, aut occaſio patiatur.

Erga Socios.

AMicitiæ ſimillima eſt illa hominum familiaritas, quæ dicitur

Societas, quam amica hominum inter se coniuncta familiaritas. In Socijs autem eligendis, vel obseruandis, in primis conandum est, vt honesti, ac probi eligantur, & habeantur: apud quos, & emendatiores fieri possimus. Illos cùm erimus nacti, sic erga ipsos nos habebimus, sequentia præcepta non excedentes.

Primò, Non secus quàm consanguineos ipsos amemus.

Secundò, Hæc quinque obseruemus, quorum Terent. meminit in Adria: scilicet, dicamus perferre, & pati mores, ritus, & gestus sociorum: non mox ad vnum, aut alterum verbum irasci, sed omnia ferre æquo animo, & vultu hilari. Deinde nos totos demus nutibus, & voluntatibus honestis sociorum.

Tertiò, Obsequamur ipsorum studijs: id agamus, quod illi moliuntur, si saltem in honestate situm fuerit. Ideò, & vulgò prouerbium est. Viuendum esse moribus præsertim, non esse morosum, vel propriæ (vt aiunt opiniones; nam

Dum

Dum fueris Romæ Romano viuito more,
Dum fueris alibi, viuito ſicut ibi.

Quartò, Nulli aduerſemur, litem, diſcordiam, & iurgia fugiamus, litem non ſeminemus.

Quintò, Vbi duo de re vna contendunt, nutri, niſi propter quandam rationem cogaris, accendendum. Quod ſentis non pertinaciter, & præter rationem ſuſtine. Alienæ potius te ſubijce ſententiæ, ijs præſertim de rebus quæ ſint aut non ſint parum tua intereſt.

Sextò, Nulli nos præponamus, nec alijs meliores æſtimemus, ſed æquales. Hinc vulgò dicitur: Inter ſocios non eſſe ordinem, ſed æqualitatem inter ipſos debere eſſe, & nullam prælationem ſui ipſius.

Septimò, Caue ſocio vitia exprobrare, licet ſint naturæ; & voluptati ducere verbis, aut factis eundem pudore confundere.

Octauò, Dum ſocius quædam enarrare inceperit non oſtẽdas narranti id te ſcire; multo minus dicere expedit non ſic res ſe habet, deluderis,

deris, ita habet vt dicam, & similia.

Nonò, Socium absentem theonino dente, non rodamus, nec de vllis rebus vlla ratione detrahamus si verò laudemus modùm, non excedamus.

Decimò Delinquentem castigémus, sed parcè, & non coram alijs. Illud enim est vituperare, & vitiare, non amicè emendare.

Vndecimo, Neminem iniuriosè compellemus, neque ioco, neque extra iocum. Præ cæteris castè, & verecunde loquamur; in honesta, & indecentia euitemus. Nulli clam in aurèm præsentibus alijs, nec quidquam liberius quasi per iocum in consortio effundamus. Demum obseruemus ne aliquam corporis nostri partem attingamus quæ exposita oculis esse non solet. Dum quendam alloquimur saliua ne conspuamus, animaduertamus, quod vt euitetur iusto aliquo interuallo, ab altero nos collocemus.

Quæ omnia si ritè obseruentur sum-

ſummum nos apud ſocios conciliabunt familiaritatis vinculum, quod plane indiſſolubile exiſtet.

Erga Senes.

QVos Senium, & cani grauant capilli, illis quoque ſua eſt exhibenda obſeruantia; merentur honorari ob longam actam ætatem, in qua, & experientia, & vſu, & arte multum prudentiæ obtinuiſſe creduntur. Ideò honorandi ſunt tanquam prudentiæ domicilia. Sunt autem tria, quibus ſenes honeſtandi erunt.

Primò, Iubet Cic. in offi. vt labores eis minuantur, quà corporis viribus per Senium vti non poſſunt.

Secundò, Colendi verbis caſtis blando, & amico nomine appellentur, vt opus habet, hoc nomine Cariſſime Pater, Amantiſſima Mater, Proaue Colendiſſime, &c. Non opprobrijs conficiantur, ac ſcelerati, & nebulones dicantur, ſed coram ipſis nulla niſi honeſta tractentur; hinc

Ouid.

Ouid. libro 5. Fast. inquit.

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inquo suo pretio ruga senilis erat.
Verba quis auderet coram sene digna rubore
Dicere? censuram longa senecta dabat.

Tertiò factis, & gestibus probis sunt prosequendi: coram ipsis, aut flectere genua, aut caput aperire. Id quod veteres olim Romani fieri curabant hac lege. Si quis hominem senio confectum cooperto capite præteriret, is capitis reus esset.

Erga Mulieres.

MVlieribus etiam honestis, & probis debetur honos ob duplicem rationem. Prima, quod ipsæ nostræ sunt Genitrices, & Nutrices: ac plus sudoris in educandis liberis habent, quam Patres. Secunda quia pudicitiam, virtutem colere solent (quæ virtus maximè in ipsis æstimatur) vt de multis matronis constat apud historicos. Triplici igitur honestate sunt venerandæ.

Primò,

Primò, In ipſarum præſentia cauere à verbis laſciuis. Ipſæ enim pudicis mecum ſint, nil coram eis loquendum eſt, quod pudicitiæ, boniſque moribus aduerſetur.

Secundò, Abſtinendum ab indecenti geſtu, qui contra honeſtatem eſt. Verecundè agenda omnia talia nanque conuenit nos moribus exprimere, & effingere ſemper, quæ præſentium fortunæ, & conditioni ſunt accōmodata. Cum igitur mulieres habeantur pudicitiæ cultrices, pudicos, & apud ipſas nos eſſe decebit.

Tertiò, In mulieres non amata, vel irata ſæuiendum manu, cùm ipſæ ſint inermes, & imbelles, neque ſatis validæ, vt verberanti reſiſtant; & cùm nihil ſit laudis mulierem viciſſe, vel de ipſa vindictam ſumpſiſſe, vt habet vulgatum prouerbium, & Virgil. 2. Aeneid. Et ſequamur animalium irrationalium in colendo fæmineo ſexu conſuetudinem, quæ eis præferentiam in edulis concedunt, nolentes deſpicere à quibus quid-

quidpiam boni, aut voluptatis expètant.

Erga Extraneos, vel Peregrinos.

IN Extraneos, & Peregrinos etiam officia virtutum seruanda sunt, præsertim quatuor; Primum, Pijs, & humanis verbis excipiendi, & tractandi, vt se se ad homines, id est humanos diuertisse agnoscant, non ad crudeles, vel impios, Scitas. Non sunt irridendi verbis. Hinc Plaut. ait in Comædia, quæ Pęnulus dicitur. Seruum herclete esse oportet, & nequam, & malum hominem, peregrinum atquę aduenam qui irrideas.

Secundum instruendo eos in hoc, quod eos latet in nostris oris, ne præingnorantia consuetudinis patriæ fallantur; nam istud magnam nobis adfert laudem, istudque interlinquere, commorantem vitiat, & contaminat. Facilè est imponere nescienti; Habet Erasmus in lib. de

In-

Institut. princ. Christ. Platonem quondam dixisse, quod diligentius cauendum est, ne quid lædantur hospites magis quam ciues: propterea quod hospites destituti auxilio amicorum, & cognatorum, magis sunt obnoxij iniurijs. Ideò, & Iouem putabant Gentiles esse vltorem iniuriæ peregrinorum, vocabantque ob id Xenium.

Tertium, monstrare viam quærentibus aut ignorantibus, non sinistrorsum ducere, dum dextrorsum ipsis eundem est. Id enim sceleratissimum est, seducere peregrinum, sine nostro commodo: docentque latrones, & prædones, qui sponte erronea via iubent ire peregrinos, quò casses incidant, & occidant ipsos.

Quartum, Hospitio ipsos suscipere, & ferre vt nobiscum habitent. Hinc Gentiles coluerunt hospitalitatem, tanquàm rem sanctam, & Iouem dixerunt, Deum hospitalitatis, quod pium, & Sanctum esse hospitari peregrinos. Ideò Dido Re-

gina Carthaginensium lib. 1. Aeneidos; dum Æneam cum alijs Troianis hospitio susceperat in conuiuio, inuocat Iouem tanquam dantem iura hospitibus. His versibus.

Iuppiter (hospitibus nã te dare iura loquũtur)
Hunc lætum Tyrijsque diem, Troiaq; profectis
Esse velis, nostrosq; huius meminisse minores
Adsis lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.

Et veteres Romani multos peregrinos in Suã Vrbem susceperunt, qui tandem, & Vrbis fiebant moderatores, vt Liuius ait de Vrbe condita. scribit, & Beroaldus, quod olim hospites, ac peregrini præponebantur cognatis, & affinibus. Imò & Romæ externis Magistratus dabatur regius, consularis, & prætorius, vt Humæ, & Tarquinij temporibus, Consules multi peregrini, & externi fuerunt. Habebant, & prætorem peregrinũ, qui peregrinis ius dixit.

Erga Hostes, & Inimicos.

ET in Hostes nostros virtutis memores esse debemus; & præsertim

tim quatuor vti præceptionibus.

Primò (vt iubet Cic. in off.) Etiã, & fides præstita, seruanda est hostibus, vt nunc equitum lex, & consuetudo est. A quo si quis captus fuerit, & manumissus, ad illum eundem reuocatus, vt redeat redire cõuenit: alias è strenuorum equitum albo expungitur, & eliminatur.

Secundò, ab hostibus, vel inimicis irritati, aut lacessiti iniuria, aut bello indicto, non ilicò reluctemur, aut remordeamus, ne canes videamur: illud nanque beluarum est, sed benignè rem ipsam prius agamus verbis; teste Terent. in Eunu. Omnia prius verbis, quam armis experiri, sapientem decet, nihilque ex ira faciendum improuide.

Tertiò, Etiam iniuriæ illatæ, & acceptæ, præstat ignoscere quam talionem reddere. Nobilius nanq; vindicandi genus est ignoscere, quã par pari referre. Erasmus in lib. de instruct. principis Christiani inquit: Quod vltio, est signum parui, & pusilli animi. Iuuen. Satyr. xij. ait, Quod

vindicta nemo magis gaudet, quam fęmina, ergo erit viro indigna.

Quartò, si hostium iniurias, & insultus abigere non possumus, nisi paribus verbis resistamus, tum illud Virg. xij. Aeneid. sequendum est:

Quò numen, quò dura vocat forma, sequamur,
Sors, & virtus miscentur in vnum.

Armis euidenter repugnemus, vt passim habet Liuius de Rom. Gentibus. Illud tamen Cic. semper in mente habetur. Bella suscipiantur, non aliam ob causam, quam vt pòstea in pace viuatur, non vt vindicta de hostibus sumatur.

Erga Heros, & Dominos quibus famulamur.

IN Heros nostros, quorum pane victitamus, & quibus seruitium debemus, quadruplices habebimus mores.

Primò parati simus, & prompti ad eorum exequenda iussa, & mandata, non testudineo more exequi negotia: *serui enim obedite per omnia do-*

dominis carnalibus non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes sed in simplicitate cordis timentes Deum; Quodcumque facitis ex animo operamini sicut Domino, & non Hominibus, scientes, quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis; Colloss. 3.

Secundò, Fideles esse debemus in ipsos: non fallere, non fraudare, nõ falsa imponere illis coram blandiendo, & absentibus detrahere. Seruos Dominis suis subditos esse in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes sed in omnibus fidẽ bonam ostendentes. Tit. 2.

Tertiò, Illis simus frugi, & vtiles, eorum incommoda præcauendo: plus ipsorum quam nostram commoditatem quæramus: citius Domini, quam priuatam, & nostram rem exequamur: & si viderimus herum incommodi quippiàm subiturum, istud, si possimus, ab ipso auuertamus: hæc Plautus in Aulularia.

Quartò, Taciturni esse debemus, duabus vicibus. Primò, ad herorum verba non obloqui, etiamsi in-

terdum melius nouerimus, neque tamèn prorſus obmuteſcamus: hinc Plautus in Comæd. militis glorioſi, ait; oportet Seruum plus ſcire, quam loqui. Secundò, Dominorum ſecreta alijs non reuellere, neque foras eliminare; taciturnitas enim oppido ſeruum commendat.

Quomodo Dominus ſe gerere debeat erga Seruos.

CVm vero ſorte quadam ſimus conſtituti Domini non minus noſtras erga ſeruos habebimus regulas. Nam inquit Eccl. 33. *Si tibi eſt ſeruus fidelis ſit tibi quaſi anima tua, ſi læſeris eum iniuſtè, in fugam conuertetur.* Et 7. *Seruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua, non defraudes illum in libertate, neque inopem derelinquas illum. Non lædas ſeruum in veritate operantem.* Hæc ſatis indicant officia Dominorum erga Seruos, & *Vos Domini eadem facite illis* re-

remittentes minas, ſcientes, quia illorum, & veſter dominus eſt in cælis, & perſonarum acceptio nō eſt apud Deum. Eph. 6. & col. 4. *Domini quod iuſtum eſt, & æquum ſeruis præſtate, ſcientes quoniã & vos Dominũ habetis in Cælo.*

Si verò ſerui ſint mali, & iniqui caſtigandi cædendique ſemper iure ſunt, neque ita monendi vt liberi, ne moliores fiant. Allocutio omnis ad ſeruos quodammodo imperium ſit, neque iocus vllus cum ipſis seù fæminis, ſiue maſculis habeatur: Quod multi ſtultè facientes dum delicatius enutriunt, difficiliorem vitam & ſibi ad imperandum, & illis ad obediendum reddunt. Sic Plato in x. de Legibus. Quæ vbi Domini benè obſeruabunt, optime ſe erga ſeruos habebunt.

Erga Magiſtratus.

Magiſtratibus locorum, vbi agimus, etiam virtutis exhibitio debetur, & Primò vt eos agnoſcamus Rectores, & Gubernatores

noſtros, non caſu ſed Dei conſilio præfectos eſſe. Secundò vt Amore & beneuolentia & fauore eos proſequamur. Tertiò vt eorum legibus, & mandatis, quæ pietatem & honeſtatem concernunt, debitam exhibeamus obedientiam; ſunt enim nihil aliud leges ipſæ quam recte viuendi præcepta, & documenta. Malè viuitur, vbi ſine lege viuitur. Quartò Vt ſumptus quos ad gubernationis neceſſitatẽ exigunt, vt ſunt tributum, Vectigal, Cenſus, decimas, & ſimilia, benignè pendamus. Quintò vt contra eorum ſententias, vel iuſtas pęnas propter violatas Leges nõ inſurgamus. Sextò Vt eos vereamur, & ſi in aliquibus leuiter defecerint, condonemus, eorumq; iniurias tolleremus, & interniciem caueamus. Septimò Vt vbi eorum auxilio indiguerimus, ac defenſione, ab ipſis ſubſidiũ petamus. Octauò Vt eos debitè honoremus, & cognoſcamus abſque ijs Vrbes, & regiones non poſſe tutari defendi, & per durare; Nam teſte Liuio lib. 2.
de

de Vrbe condita, si cætera corporis membra stomacho cibum non suppeditarent, simul cum ipso fame perirent: ita quoque nisi subditi prædicta omnia erga Magistratus obseruent, Vrbes ac regiones pariter cum ipsis interirent.

Quid Magistratui competit Erga Subditos.

VIcissim & Magistratùs in subditos certis tenentur legibus, & in primis Magistratus Deùm timere debent (Exod. 18. 25.) amplecti veram religionē, prouocare & promouere; idolatriā & falsorùm Deorum cultum abolere, curare vt sola Catholica Doctrina tradatur, & propagetur, ceremonias diuinitus institutas vna cum subditis sanctè, & colore & obseruare; & (vt inquit Cicero 2. offic. Videndum est ei, qui Rempub. administrabit vt suū quisque teneat, & earum rerum sit copia, quæ sunt necessariæ. Magistratus deinde talē vitam instituat quæ

legibus ab ipſis conditis non repugnat: Lex enim eſt commune bonum (teſte Iamblicho in Epiſt. ad Agrippam); ſine quo nihil bonum fieri poteſt. Cæterum oportet Principem perfectum ſincere purgatum eſſe iuxta ſummam legum rectitudinem, ac neque ſeductione, aut fraude falli per ignorantiam, nec vim inferentibus concedere, nec vlla occaſione iniuſta allici. Nam Seruatorem & Cuſtodem legum tam incorruptum oportet eſſe quam ſummè fieri poteſt in humana natura. Hæc Iamblichus: vt igitur ſubditi legibus à Magiſtratibus præſcriptis optimè pareāt, ipſi Legumlatores leges ſtrictiſſimè debent obſeruare, & ſecundum eas rectum viuendi modum inſtituere. Longè etiam alia decent magiſtratus quam ſubditos, & citius eorum, quam ſubditorum, conſpiciuntur errores: vt egregiè cecinit Ouidius ad Liu.

Non eadem vulguſque decent, & lumina rerū;
Eſt quod præcipuum debeat iſta domus.
Ad te oculos aureſq; trahis, tua facta notamus,
Nec vox miſſa poteſt Principis ore tegi.

Cui

Cui sententiæ etiam subscribit Claudianus.

Nec te præterea crebro sermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe,
Viuere cognoscas: cunctis tua gentibus esse
Facta palàm, nec posse pari regalibus vsquam
Secretum vitijs: nam lux altissima fati
Occultum nil esse sinit: latebrasque per omnes
Intrat, & abstrusos explorat fama recessus.

Sunt & eiusdem, Claudiani alij versus, quos Beroaldus præ foribus ædium principalium scribendos esse censet: Scilicet.

Tu Ciuem Patremque geras, tu consule cunctis,
Nec tibi, nec tua te moueant, sed publica vota,
In commune iubet, si quid censesque tenendum
Primus iussa subi, tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Autorem parere sibi, componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sit inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita Regentis
Mobile miratur semperq; cum Principe vulgus.


Insuper prius debent Magistratus cognoscere causam, quam sententiã ferre, & inaudita altera parte non iudicare. Conuenit etiam ijs inire fędus & amicitiã, & pacem cũ vicinis Gubernatoribus, colere publicã vtilitatẽ & libertatẽ contra seditiosos, & hostes defendere. Est enim boni

Magiſtratus cum auxilia Reipublicę labefactari conuellique videat ferre opem Patriæ: ſuccurrere ſaluti, fortuniſque communibus, ſuam ſalutẽ, poſteriorem ſaluti communi ducere, intercludere omnes ſeditionum vias. (Cic. pro Caio Rabirio) Imo, quod magis eſt, cum proprij capitis diſcrimine debẽt moderatores ſubditorum libertatem contra peruerſorum inſultus tutari. *Præfectum*, (inquit Turbo;) *rebus publicis ſtantem mori oportet: hæc viri eximia virtute præditi, maxima eſt gloria.* Dion. in Adriano. Tandem ſupplicia de hoſtibus ſumere, innocentibus parcere, derelinquentes, legeſque ſpernentes punire proprium magiſtratuum eſt. In pœna tamen imponenda etiam modus & ordo ſeruetur, neque maior pœna ſit quam culpa, alias enim tyrannidem, non magiſtratum exercere dicetur: Magiſtratus autem ſine tyrannide regere debent.

CAP.

Cap. V.

QVID CVIVIS LOCO, tempori, & cuiuis hominum conditioni conueniat.



N Honeſtate, & Virtute multum efficiunt locus, tempus, & occaſio: Quorum omnium niſi fuerit ratio habita, nihil vel parum conducet virtutis cognitio, & exercitatio. Locus enim, & tempus, dicunt Sacrarum literarū interpretes, peccata aggrauant: item leuantur loco, & tempore. Sic, honeſtas ſiue virtus ſuo etiam loco, & tempori accommodanda eſt. Alia enim longequè diuerſa, diuerſo in loco, & tempore decent, licent, & exiguntur. Quod

ſi quis

si quis nescierit, aut non imitatus fuerit: quantumuis virtutem didicerit, vitiosus existimabitur, si ignorauerit seruire loco, & tempori. Nam (inquit Seneca Med. act. 1.)

Compesce verba, parce iam demens minis.
Animosque minue: tempori aptari decet.

Ideò etiam Macrobius lib. 7. Saturnalium, cap. 1. inquit: Nihil est tam cognatum sapientiæ, quam locis, & temporibus aptare sermones. Iussit, & Pittacus Mytil. Noscendum esse tempus: vt quicquid ageremus, prius intueremur temporis opportunitatem, Et (Eccles. 3. primo) Tempore vtendum, & temporis opportunitas in omnibus obseruanda. Itaque statuendum est temporis opportunitatem omnibus rebus optimam esse. Hinc (Terentius dixit;)

In tempore ad eam veni, quod rerũ omnium est
Primum ——

Et Lucanus ad Pisonem;

Temporibus seruire decet: qui tempora certis
Ponderibus pensauit, eum si bella vocabunt,
Miles erit, si pax, positis toga gestiet armis,
Hunc fora pacatũ, bellantem castra docebunt.

Loco

Loco autem etiam ſeruiendum esse Horatius nos ſufficienter docuit. 4. carm. 12.

Miſce ſtultitiam conſilijs breuem
Dulce eſt deſipere in loco.

Et idem in arte Poetica,

Singula quæque locum teneant ſortita decenter

Ex quibus locis ſatis patet, & loco, & tempori ſeruiendum eſſe. Quomodo autem quiſque debeat, & poſſit eſſe omnium horarum homo, ſequentia ſufficienter inſtruent. Sed quoniam & loca, & tempora varia ſunt in quibus agunt, & conueniunt homines pro eorum diuerſitate etiam ſunt diſtinguenda; & quia primum locũ ſibi videtur vindicare conuiuium, ideo de eodem primò verba faciemus.

De Conuiuio, & quæ in illo deceat honeſtas.

CONuiuium eſt accubatio epularum, ſecundum Cic. Qui in libro, qui Cato maior dicitur, vel de ſenectute, dicit: *Bene enim maiores*

iores nostri accubationem epularum, quia vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominauerunt, melius quam Græci, qui hoc ipsum modò computationem, modo concænationem vocant.

Inter conuiuationem multa tenenda sunt honestatis præcepta.

Primum vt Macrobius inquit lib. 7. Saturnalium cap. 1. Obseruatio in conuiuio est, æstimare conuiuas, quales sint, cuius fortunæ, dignitatis, & autoritatis.

Secundũ, vt idem ait Macrobius, Debet quisq; videre, vbi sibi locus pateat, non de rebus philosophicis, vel grauibus inter pocula loqui. Ideò Socrates quondam in conuiuio rogatus, vt aliquid in medium proferret, respondit: Quæ præsens locus, vel tempus exigit, ego non calleo: quæ autem calleo, præsenti loco nõ sunt apta, nec tempori: putans res graues, de quibus in scholis disputant Philosophi, non conuenire cõuiuio, & conuiuium illud laudatur, (44. dist. Conu. & cap. seq.) dummodo detractionibus, & fabulis, & plausi-

plausibus turpibus non misceatur. Vnde Sertorius admonere solebat suos ne quid in conuiuio præter decorum, vel fieret, vel diceretur: præsertim à iurgijs, & obscænitate temperaretur. Nec ipse quidquam tale sustinebat, vel audire, vel videre; sic Plutarchus de illò scribit.

Tertium, Scommata dicenda non sunt, nec quæ alios mordent, nam citius inter pocula, quā alias cōmouetur hominibus bilis, & Anagyris, vt refert Macrob. lib. 7. Et Eccl. In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad coleram.

Quartum, Edendo, & bibendo modus obseruetur, secundum hæc duo præcepta, scilicet sumatur cibus citra satietaté, & potus citra ebrietatem test. Poeta,

Sunt sponte exhausti latissima pocula potus.
Baccho, & potori vina coacta nocent,
Hunc quia clam tellus venis effundit. ad illa
Fert ad lethaas immoderatus aquas.
Vinosi dira pereatis morte Bibones:
Latus ego saltem vina modesta bibam.

Quintum, Hæc septem præcepta Plauti in Comed. militis gloriosi obseruet quisque: Sit cauillator facetus, commodus conuiua, non oblocutor alterius, ab omni incommoditate abstineat, loquatur dum tempus est, taceat altero loquente, parum expuat.

Sextum, In conuiuio dicta, vel audita, visa, & facta, foras non aperiat, vel diuulget. Ideo Horatius in Epist. 6. Torquatum vocans conuiuam: promittit se curaturum, vt nemo sit in conuiuio, qui dicta foras propagabit. Et Beroald. dicit; Quod mos fuit quondam Gentilium, conuiuis domum intrantibus, aut ingressis ostendere limen, dicendo; extra illud nihil, id est, ad mensam audita, caue foras dixeris alijs. Quare nostri volentes bonum istum morem imitari solent mensas, rosis ornare, vt sub illis dicta inter pocula maneant, & non alio diuulgentur.

Septimum, *Super mensam non exten-*

extendas manum tuam prior, ne Inuidia contaminatus erubeſcas. Si in medio multorum ſediſti tu prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poſcas bibere; Eccl. Et Ioan. Chriſoſt. 16. de Coll. Io: Bapt. Sic ait. Conuiuium honeſtate honeretur, lætitia menſæ pertingat ad pauperes Chriſti, familia innocentię tripudiet diſciplina. Abſit ebrietas, luxus abſiſtat, fugetur effuſio, ſaltatricum peſtis, lenocinia cantuum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragium mentis cum Herodiatis cõuiuio abſcindantur, vt præſens gaudium veſtrum ad lętitiam perueniat ſempiternam.

Sequitur vt de Conſortio, & quæ in eo conueniant dicamus.

De Conſortio.

ARs eſt non facilis, imò per magna, & egregia, ſcire commode inter homines agere, vt familiaritate placeamus alijs, maneatque diù mutua, & amica coniunctio.

ctio. Est enim societas siuè consortium duorũ pluriumue coniunctio, contracta ob cõmodiorem vsum, & vberiorem quæstum. Quæ coniunctio vt benè obseruetur, varijs documentis opus est.

Primò, assuescamus ferre, & pati hominum mores, verba, ac facta: non ilicò literam caninam sonemus, aut aceto perfundamur, si quid tædij nobis inferunt, sed tanquam nescij, tacitique perferamus, & tanquam ea nos modicè tangant, ita nos ostendamus, neque multum respondeamus, atque defendamus: Remordere enim, & irasci leui offendiculo est hominis animi impotentis.

Secundò, aliorum arbitrio, & nutui vbi æquum est & decorum, subscribamus: vt idem velle, & nolle sit nobis quod ipsis, id velimus quod isti cupiunt, vitemus ea, quæ minimè arrident & nauseam inferunt.

Tertiò, Studijs, operibus, & conatibus ipsorum consentiamus: Isti studeamus rei, & negotio quo sungun-

guntur: Vbi nanque ſtudiorum, & operum eſt diſsenſio, ibi facili negotio de Societatis diſruptione cogitatur. *Omnium enim Societatum* (inquit Seneca.) *Nulla præſtantior eſt nullaque firmior, quam cùm Viri boni, moribus ſimiles ſunt familiaritate coniuncti.*

Quartò, nemini aduerſemur indignè, & præter illatam prius iniuriam aut litem faciendo, aut verbis rixando, aut malidicendo; nihil enim, (teſt. Senec. 3. de legibus) præter laudem bonis atque innocentibus ex ſocijs reportandum eſt.

Quintò, nulli nos præferamus, ac meliores, digniores, vel præſtantiores exiſtimemus. Sociorum paritas ſummam parit amicitiam, diſparitas odium. Humanitas vetat ſuperbum eſſe apud ſocios, vetat auarũ verbis, rebus affectibus cõmunem ſe facilemque omnibus præſtare: Nullum alienum malum putat, bonum autem ſuum ideò maximè quod alicuius bonum futurum eſſe amat, ſic Seneca Epiſt. x.

Sextò,

Sextò, Hoc præceptum benè obseruemus. *Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris: Omnia verò quæcumque vis vt faciant tibi homines, & tu, fac illis.* Ita nihil loquaris, nihil facias alteri, quod tibi fieri nolles. E contra quæcumque velles tibi fieri, tu eadem alijs facias.

Septimò, Faciles, & accincti vsque simus; vt vbicumque tempus exegerit, aut locus expetiuerit, præstemus alijs obsequium. Obsequium namq; collatum, parit amicos: intermissum, inimicos peperit semper.

Octauò, Quos in Socios eligamus videndum. Vnde Seneca dixit: ante circumspiciendum est cum quibus edas, & bibas, quam quid edas, & bibas. Socij autem boni, æquales, & à quibus quidquā addiscere possimus, sunt eligendi. Nam (inquit Eccl. 12.) *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit se superbo induet superbiam: Pondus super se tollit qui honestiori se communicat: & ditiori nè socius fuerit.*

Nonò, Nimia inter Socios prohibe-

hibetur loquacitas. Nam ex multiloquio pleraque nascuntur incommoda, & multiloquium non solum molestum est auditori, sed etiam ad persuadendum inutile.

Et tandem sequamur Senecam dicentem. *Nullius rei sine socio iucunda est possessio. Non magis vtilitati est ager cum reditibus amplis, quã vicinus æqualis cum moribus bonis: sit tibi erga singulos salsi libra sermonis, & te blandum pueri, comem iuuenes, grauem senes metiantur.*

Cæteros mores, & ritus, vsus quotidianus dabit, & experientia, quæ rerum est magistra. Succedit tractatus de Colloquijs mutuis. Igitur de ijs breuiter agendum est.

De Colloquijs mutuis.

IN hominum mutuis locutionibus & consamulationibus sequentia optimè inseruient, & primò non interloqui, dum alij sermonem faciunt, sed modestè aliorum verba percipere, linguam compescere, &

ex-

exſpectare verborum finem conuenit: hinc illud vulgatum prodijt prouerbium: Duò concinere poſſunt, aſt non pariter verba facere. Ex hoc autem ſatis conſtat, prius aliorum ſermoni attentas aures eſſe porrigẽdas, tùm quæ nobis viſa fuerint, reſpondeamus; reſponſio tamen, ſi fieri poſſit, paucis conſtringatur verbis; nam multis verbis veritas nõ eget, & rectius meminimus, quæ paucis verbis cõprehenſa ſunt. Deinde natura ipſa dictitat, quod vnius ſermo debeat remorari alterius orationem, nam ſit integrè capi nequit. Temerè vero aliorum verbis non eſſe reſpondendum Satis indicat autoritas Aul. Gell. lib. 8. quæ ſic ſe habet. *Sapiens ſermones ſuos præcogitat & examinat prius in pectore, quam proferat in ore; Qui enim ſunt leues & faciles atque importuni locutores, nullo rerum pondere innixi verbis tumidis, & laxantibus eam orationem benè exiſtimant. Eſt in ore, non in pectore lingua.*

Secundò, obſeruandum quã maxime

xime eſt ne aliorum honori inter loquendum quidquam detrahamus; quod nos abundè docet Eccleſiæ Doctor. Hieronymus ad Cælant. *Nulli vnquam omninò detrahas, etſi aliorum vituperationem te laudabilem videri velis, magis tuam vitam ornare diſce, quam alienam carpere, ac ſemper memineris Scripturæ dicentis. Noli detrahere diligere, nè eradiceris.* Et profectò abiecti ſe eſſe animi oſtendunt, qui aliorum honorem lædere ſtudent, teſte eodem Hier. ſic dicente. *Vilium ſatis hominũ eſt, & ſuam laudem quærentium alios viles facere: quia alterius vituperatione ſe laudari putant; & ſuo merito placere non poſſunt, placere volunt in comparatione malorum.* Quod etiam & Ethnici agnouere, inter quos adfero Ciceronem qui de offic. hæc nobis ſcripta reliquit. *Arbitrari* (inquit) *debemus magis eſſe contra naturam, hominem homini detrahere ſui commodi cauſa, quam omnia incommoda ſubire, vel externa, vel corporis,* Deinde quid poſt Deum & animam homini fama

charius? *nihil est detestabilius dede-coratione, nihil fœdius seruitute. Ad decus & libertatem nati sumus & hoc teneamus, cùm libertate moriamur, dedecus virtus propulsare solet.* Sic Cic. Philip. 3. & Secundum Aristotelem lib. 4. Ethic. *Honor est maximum bonorum exteriorum.* Hinc satis apparet, quam malè faciant ij, qui aliorum honorem conantur eripere aut defacto eripiunt.

Tertiò, Prospiciendum est, quid, cum quibus & de quibus loquamur; ne nimis celeriter aut nimis multa loquamur multiloquium enim sine mendacio non consistit. Deinde is, qui multa loquitur, non videtur habere linguã sub proprio regimine, quod optimè Hippolitus notauit dicens. *Quemadmodum per procliue currentium non vbi visum est, gradus sistitur sed incitatio corporis pondere se rapit, ac longius quam voluit, & quò non voluit effertur,*

—— Vt saxa abrupta quibus mons
Subtrahitur, clinoque latus pendente recedit:

Sic ista dicendi celeritas nec in sua

pote-

poteſtate eſt nec ſatis decora. Imò beneuolentiam potius comminuit quã auget, ſequentes enim verſus id facile edocent,

Conticuiße nocet numquam, nocet eſſe locutũ.
Linguam ergo imperio ſedulus vſque tene.
Lingua parens media ſcelerum eſt certiſſima partis,
Hac domita, media crimina parte ruunt:
Vtque ſuum ſenſim perdunt hypocauſta calorẽ,
Ni Stude as clauſas ſemper habere fores:
Sic quo que quam par ſit, ſi ſapius ora recludas,
Paulatim è medio pectore feruor abit.

Quartò; animaduertendum vtrum quæ loquamur nobis obeſſe an prodeſſe poſſint; Stultum eſt enim loqui & quid loquamur ignorare.

Quintò, aliorum arcana non inquirenda ſunt ob duplicem rationẽ: Vna eſt, quia male ferunt hi, a quibus eadem expetuntur: altera, quia interrogantes pro proditoribus habentur, tanquam vellent cognitis ſecretis obeſſe.

Si verò aliorũ arcana nobis aperta fuerint, ea nullo modo reuellenda; teſte Horatio in Epiſtolis; Siue Sobrius ſis ſiue ebrius taceas & ce-

les; nam celanda effugiens meritò fure ſceleratior æſtimatur; arcana namque ſæpè præſtant hiſce rebus quæ a furibus ſurripiuntur; & auſcultemus Iſocratẽ orat. ad Domin. *Diligentius* (inquit) *tuere depoſita verborum quam pecuniarum: ne cui arcana tua tradas, niſi res illas taceri non minus ijs, qui audiunt, quam dicenti tibi expediat.* Quod etiam vult Oſorius lib. 8. de inſtit. vbi de conſiliarijs loquitur. *Eſt* (inquit) *in conſiliarijs præcipuum fidei munus, quidquid ſecreto ſtatutum fuerit, ſilentio & taciturnitate comprimere: ſi enim qui amici conſilium aperit, eſt odio omnium dignus; quo tandem ſcelere illum alligari iudicabimus, qui regis conſilium contra datam fidem cùm homine, qui non ſit particeps eiuſdem conſilij, communicauerit? eſt regis proditor & patriæ euerſor exiſtimandus.*

Denique conſilium Eraſmi in colloquijs amplexãdũ qui ſic ait. Quoties alloquitur te quiſpiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis ſtatum; aperi caput, vul-

vultus ſit nec triſtis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec inſtabilis, ſed hilari modeſtia temperatus: oculi verecundi, ſemper intenti in eum cui loqueris, iuncti pedes, quietæ manus; nec vacilles alternis tibijs, nec ſint geſticuloſæ manus: nec mordeto labrũ; nec moueto caput; nec fodito aures. Veſtis item ad decorum componatur: vt totus cultus, vultus, geſtus & habitus corporis ingenuam modeſtiam & verecundam indolem præ ſe ferat.

Hæc omnia, quæ iam dicta ſunt, quicumque cùm alijs colloqui deſiderat, ſancte obſeruet: Nunc quæ inter deambulandum deceant tractabimus.

De Ambulatione.

SI contigerit nos cum aliquibus deambulationem aggredi, pluribus debemus eſſe moribus instructi; Et primo ſciendum eſt nos debenti debere reddere honorem dextrumque latus concedere. Nam

teste Arist. lib. 1. Ethic. Honor maior est in honorante quam in honorato. Vnde patet istud magni esse faciendum, & nobis ipsis magnum adferre honorem.

Secundò, simus in loquendo comes, & affabiles, humani, & beneuoli. Humanitas enim & beneuolentia hominem maxime alijs commendant, & test. Plauto. Facundus comes in via pro vehiculo habetur: is tædium in itinere subleuat.

Tertiò, Inter deambulandũ vtendum est gradu non nimium celeri nimiumque veloci, sed temperato, & decenti, vt in offic. iubet Cic. Eundo, nobis congredientes non commaculemus: sed sic pedes, & gressum moderemur, ne itineris socios limo aspergamus.

Quartò, submissè loquendũ est, sic tamen vt alius noster socius, quæ dicamus, percipere possit: Nimium enim altiori tono vtentes socium deridere videmur; Nimium submisso eum tanquàm verbis nostris indignum iudicamus; vnde nec nimium sub-

ſubmiſſa, nec nimium elata voce vti debemus.

Quintò, Nobis obuiam facientibus è directo ſiue diametraliter locum cedere nos decet, vt illud euitetur incommodum, ne inuicem corporibus tangamus, vt Caper Caprũ cornibus. Obuios honoremus, & præcipue vbi ad nos nõ ſpectet plateæ ductus (quod vel maxime hic Patauij, & alijs in locis obſeruandũ, nam qui murum à dextris poſſident, maxima ſe iniuria affici putant, dũ aliquis ipſis obuiatur, murumque non relinquit: Si vero alicui obuiam factus ſis, & ad te decus iſtud pertineat alteriq; murum præbueris, qui accepit, maximo honore eum dignaris, & merè tuam in iſtam oſtendis beneuolentiam) alijſque modis. quibus honor exhibetur. Obuios ſalutemus, id humanitatis leges expetunt, & mirè beneuolæ ſalutatione aliorum gratiam, ac fauorem occupamus. Ideò Cato quondam dixit: *Saluta libenter*. Salutare enim nihil eſt aliud quam omne genus ſa-

 lutis,

lutis, & beneuolentiæ alteri adoptare: id quod hominem maxime, & decet, & decorat.

Dicet fortaſſe aliquis iſtud exequi nimium ſe humiliare eſt. Credo quod ipſe ignoret iſtud quod Deus præcepit, Matth. 23. *Qui ſe humiliauerit exaltabitur.* Igitur talia non mihi obtundat, nam apud eundem XI. *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Deinde Luca 1. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Ex quibus locis ſatis patet humilitatem hominem extollere: Vnde eam exerceamus.

Modò videndum eſt quid Iter facientibus externaſq; oras viſitantibus maximè conducat, itaque agendum eſt de Itinere ſuſcipiendo.

Quæ deceant in Itinere.

INter itinerandum primò procuremus vt verum & fidelē ſocium acquiramus, qui nobis, ſi quædam occurrerit, aut morbi, aut mortis occaſio, auxilio eſſe poteſt.

Se-

Secundò, Iter facientes siue pedites siue equites semper studeamus hospicium ingredi ingruente nocte: Iter vero aggredi adueniente aurora.

Tertiò, Patriæ moribus in qua degamus, quam maximè fieri potest nos accōmodemus: studeamus linguam, & mores addiscere: Tractare quoque, per diem, an per noctem iter expediat inchoari: quanta locorum interualla sint ad quæ cupimus peruenire: ne Aestate aquæ penuria obsit euntibus, ne Hyeme difficiles, aut inuiæ occurrant palludes, maioresque torrentes, & impedito itinere circumueniatur exercitus, priusquam ad destinata perueniat. Vt enim nostra commoditas est, sapienter ista vitare: ita si aduersariorum imperia, vel dissimulatio occasionem nobis dederit, non oportet omitti, sed explorare sollicitè, proditores ac transfugas inuitare: vt quid hostis moliatur in præsenti, vel in futurum possimus agnoscere, nam alias inconsultum esset

 vlte-

vlterius progredi nisi alicuius Principis habeamus protectionem.

Tandem de prædonibus, ac latronibus cogitandum, diligenterq; inquirendum, vtrum per iter, quod nobis peragendum restat, non grassentur. Et hæc quæ ad peregrinantes spectant. Modo breuiter videamus quæ in secundis rebus, & fauente fortuna competunt.

De Rebus secundis.

RErum esse vicissitudinem quotidiana abunde docet experientia: sed quoniam hæc diuersis succedat temporibus, agendum primò est de Temporibus secundis ac fauentibus tum, ad aduersa deueniendum. Fortuna igitur arridente nonnulla obseruari debent.

Et Primò sciendum, licet omnia èx voto & sententia cedant, propterea non superbiendum esse, nam, etsi omnia habeamus prosperrima.

Accidit in puncto quod non speratur in anno.

Quod bene etiam in lucem protulit

Cæsar.

Cæſar. ſic inquiens: *Fortuna plerumque eos quos plurimis beneficijs ornauit ad duriorem caſum reſeruat ſuperiorum ipſorum diſsimilis*; Huic ſententię etiam ſubſcribit Plut. in Cleomene. *ſolet* (inquit) *Fortuna laui momento res maximas decernere*. Et Virgilius

—— Tolluntur in altum
Vt lapſu grauiore ruant. ——

Noli ex rerum humanarum felicitate ſuperbire. *Nam inſtabilis & mutabilis admodum eſt fortunæ felicitas* (teſte Dionyſ. Halic. lib. 4.) *& difficile eſt vel in quantumuis beatis hominibus aſſerere quamdiu hæc ipſis ſit duratura*. Et Cicero addit lib. 2. de nat. Deor. *Fortuna amica varietati conſtantiam reſpuit*. Et citatus Dionyſ. lib. 6. *Fortunæ non eſt fidendum* (inquit) *quũ homines ſæpe eam ſunt, experti in ſuis malis, & bonis, quam ſit variabilis & incerta*; vnde benè Cicero lib. 1. P. M. Veter. *Fortunã laudare ſtultitia, vituperare ſuperbia eſt*. Hoc etiam eleganter Poeta Anthol. Sacr. Ian. Bill. probat

ſtultum eſſe, qui in mundi proſperitate fiduciam collocat.

Stultus vt eſt, leuibus vẽtis qui fidit, & vmbræ,
Et noctis placidæ ſomnia certa putat.
Scribere quiq; in aquis mollitur, ſic quoq; figit,
Qui ſpes in mundi proſperitate ſuas.
Atque ideo in terris firmi nil prorſus, vt eſſet,
Conſtituit, ſupera qui manet arce, Pater.
Si licet vt firmi nihil hic ſtabiliſq; videntes,
Tendamus celeri ſemper ad aſtra pede.

Secundò, Cauendum eſt nè alterũ cui fortuna aduerſatur derideamus. Nam hoc eſt rerum ſecundarum prouentu inſolenter abuti, & magnum imprudentiæ ſignũ fortunæ fauenti tantum confidere, vt non cogitemus quod fortuna, quem ad ſumma rerum faſtigia euexit, ſtatim ſine mora vel iubeat eum è monte ſponte deſcendere, vel ipſa præcipitet. Nam intueamur potentiſſimum Xerſem Perſarum Regem. Qui omni felicitate ſemper vſus fuit, tandem à Rege Macedone totaliter deſtructum, debellatum, & in captiuitatẽ coniectum, tandemque infeliciter mortuum. Deinde impium

eſt

est deridere eum, cui fortuna aduersa est; nam res humanæ de manu in manum cadunt, (inquit Cic.) & Boetius de Consol. lib. 2. prosa 3. sic ait. An tu in hanc vitæ Scenam nunc primum subitus, hospesque venisti? Vllamne humanis rebus inesse constantiam reris, cum sæpe ipsum hominē velox hora dissoluat? Nam etsi rata est fortuitis manendi fides, vltimus tamen vitæ dies mors quædam fortuna est etiam manentis. Quid ergo referre putas, tunè illam moriendo deseras, an te illa fugiendo deserat?

Tertiò, licet nos multos habeamus amicos ideo nobis non magnopere extollere debemus; nam vt inquit Ouidius.

Dum fueris fœlix multos numerabis amicos
Tempora si fuerint nebula solus eris.

Et Idem Ouidius lib. 2. de Punt. ad Maximum.

Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est:
Quæ simul intonuit, proxima quæq; fugat!
En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit velis aura secunda meis.

Vt

Vt fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In medijs lacera puppe relinquor aquis.

Et Boetius de se ipso cum in exilio missus fuerat, sic scribit.

Quid me felicem toties iactastis amici?
Qui cecidit stabili non erat ille gradu.

Quartò, Adulatores fugiamus, & Isocratis dicto pareamus: discerne fraudulentos Adulatores ab ijs, qui per beneuolentiam te colent, ne mali bonis præferantur: ij enim venena dant melle circumlita, teste Seneca; & Horatius lib. 1. Epist. 17. sic scribit.

Tu rectè viuis, si curas esse, quod audis,
Iactamus iam pridem omnis te Roma beatum:
Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas,
Neue putes alium sapiente bonoque beatum.
Heu si te populus sanum, recteque valentem
Dictet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat vnctis,
Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.

Et Antholog. Sacr. Iacob. Bill. sic taxat eos qui adulatoribus fidem præbent.

Lingua assentatrix vitium peccantis aceruat.

Et

Et delectatum crimine, laude ligat.
Nulla sit vt lapso reparandæ cura salutis
Blanditur sonitu dum male suasus honor
Libera sit potius vox correctoris amici
Serpere nec febris cæca venena sinat
Nec credens medici verbis fallacibus æger
Noxia laudata vulnera pestis amet.

Et Iuuenal Satyr. 3. in adulantes & fautores similes.

—— rides? maiore cachinno
Concuritur: flet, si lacrymas conspexit amici,
Nec dolet: ignicolum brumæ si tempore poscas,
Accipit Endromidem: si dixeris, æstuo, sudat.

Hi sunt qui faciunt id à quò prorsus abstinendum Chilon Lacedæmonius admonebat, dicens, *secundis rebus elato nec applaudendum nec arridendum. Infelix felicitas est quæ hominem reddit insolentiorem: eoq; non plausum meretur sed lacrymas. Grauiusque peccant, qui docent insolentiam, quam qui ea vtuntur. Sæpè populus clamat in auaritiam & tyrannidem principum: quum ipse doceat illos hæc vitia.* Sic Laert. lib. 1. cap. 4.

Quintò cognoscamus omnem felicitatem nostram & *omnem profectũ nostrum* (teste Cass. in Ps.) *ad diuinitatis munera esse referendum; quia nihil*

nihil constat fore bonum, nisi quod ab ipso dignoscitur esse collatum. Gratiarum agendi modus nos optime docet Mellifluus Bernardus. *De omni bono* (inquit) *apparenti à nobis referantur Deo Laudes: idque non fictè quemadmodum ab hypocritis nec sola consuetudine sicuti à Sæcularibus: sed nec quadam necessitate, vt iumenta ferendis oneribus applicantur: sed sicut decet Sanctos sinceritate fida, deuotione sollicita, hilaritate grata, sed non dissoluta.* Hoc etiam Ioannes Chrysost. in tractatu de Symbolo nobis clarè innuit dicendo. *Admoneo vos, vt Domino semper benedicatis. Si venerint mala benedicite, & dissoluentur mala. Si prospera venerint, benedicite, & perseuerabunt bona, & prospera.* Igitur quicumque desideras in perpetua permanere prosperitate, *Disce* (vt verbis Bernardi vtar) *Disce,* inquam, *in ferendo gratias non esse tardus, non segnis, disce ad singula dona gratias agere, sic semper fortunæ vultum habebis fauentem & amicum, & Deus tibi indies magis magisque*

gisque

gisque secundabit & tandem post mundanam felicitatem, cælestem contribuet.

Perspectis ijs quæ in rebus secundis maxime obseruanda sunt, inuestiganda ea veniunt quę in rebus aduersis maximam nobis possunt adferre consolationem.

De Rebus aduersis.

VErum quemadmodum non rarò fit, vt cęlo quam maximè Sereno, sæuus imber subitò cooriatur ita rebus maximè prosperis ac lætis, sæpenumero grauissima rerum incidit perturbatio, quam repentinam & subitam fortunæ mutationē plerumq; subsequitur animi & mentis perturbatio, error in consilijs, pauor & trepidatio in corde, & mutatio voluntatum in animis hominum. Quæ omnia mala vt facilius euitentur quædam facienda & cogitanda ad aliquam concipiendam consolationem veniunt.

Primò Igitur Dei non existamus

immemores exemplum Iobi sequẽtes, cui terribile ac subitaneum illud aduersitatis tonitru omnia quæ possidebat & in quibus spem Domus suæ collocabat, breui temporis interuallo adeò destruxit vt ipsi nihil præter stramina quædam, quibus vteretur, suppeditaret: Nec hæc sufficiebant sed insuper mulieris propriæ, opprobria ac iniurias in eum conijtientis atrocissimam sustinere debuit faciem. Quid hic virùm illum fecisse cogitatis? num animo cecidisse? minime: Quid responsi ad tot iniuriarum aceruos dedisse arbitramini? an similibus verbis maledictis vsum fuisse? Iobus solum in ea verba vultu semper eodem cõstitutus prorupit. *Deus dedit, Deus abstulit.* quasi diceret etiam placuit Deo per afflictiones meam explorare constantiã, ille est qui omnia mihi reddere potest. Vnde colligere possumus non esse in rebus aduersis desperandum: *nam per afflictiones* (teste scriptura) *experitur nos Dominus*: & hæ potius vbi ad animæ nostræ salutem
spe:

ſpectent ſunt expetendæ vt benè poſteritati mandauit Poeta quidam diſce verſibus.

Quid mirum eſt, Sanctis Domini quod legibus hæres,
Cum fauor, & ſplendens hinc tibi ſurgit honos?
At mihi magnus eris, dignus mihi laudibus amplis,
Si tua ſit duro tempore firma fides.
Vir pius aduerſis rerum non frangitur vndis,
Immò etiam flammas prouocat, & gladios.
Non etenim ritù puerili dulcia quærit:
Sed quæ ſunt animæ pabula certa, cruces.

Et Idem res aduerſas proſperis optabiliores eſſe demonſtrat ſequētibus carminibus.

Optio ſi detur Sortis mihi (fœmina Princeps
Dicebat) media viuere ſorte velim:
Si nequeam media, tunc dura viuere malim;
Quam nimia rerum proſperitate frui.
Egregium ſanè dictum, ratioq; perinde,
Egregia & clara Principe digna fuit.
Non deſunt miſeris ſolatia. Dixit: at illum
Qui nimis eſt felix, mens bona ſæpe fugit.

Et Boetius de conſol. lib. 2. proſa 8. ſic ſcriptum reliquit. *Etenim plus reor hominibus aduerſam quam proſperam prodeſſe fortunam. Illa enim ſem-*

ſemper ſpe felicitatis cũ videtur blanda, mentitur. Hæc ſemper vera eſt cum ſe inſtabilem mutatione demonſtrat; illa fallit, hæc inſtruit; illa mendacium ſpecie bonorum, mentes fruentium ligat, hæc cognitione fragilis felicitatis abſoluit: itaque illam videas ventoſam, fluentem, ſuique ſemper ignaram: hanc ſobriam ſuccinctamque, & ipſius aduerſitatis exercitatione prudentem. Ex his omnibus patet in aduerſis non eſſe deſperandum aut contra Deum murmurandum; ſed ad Dominum eſſe recurrendum tanquam elargitorem bonorum omnium & ei benedicere. Afflicti enim ad Deũ clamantes exaudiuntur; vt ſacræ teſt antur literæ mille in locis.

Secundò, aduerſa patienter & læto animo ferenda vt verè viri fortis nomen obtineamus: Nam teste Gregor. lib. 5. moralium. Fortitudo non niſi in aduerſitate oſtenditur. Tanto enim quiſque in fortitudine profeciſſe verius ſe demonſtrat, quantò al iena mala robuſtius tole-

tolerat. Nam minus in se conualuit, quem aliena iniquitas sternit, qui in eo, quod ferre non valet, pusillanimitatis suæ gladio confossus iacet. Vir fortis (inquit Cassiodorus super psal. 1. Beatus Vir) vocatur à viribus, qui nescit in aduersis tollerando deficere, aut in prosperis aliqua elatione se iactare, sed animo stabili defixus, & cęlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impauidus. Et Cicero addit primo offic. Omnino fortis animus & magnus duabus rebus maxime cernitur, quarũ vna in rerum externarum dispicientia ponitur, nullique neque homini, neque perturbationi animi, neque fortunæ sucumbere. Perferre enim constanter, & patienter aduersitatem magnam laudem nobis adfert, teste Cic. lib. 2. de Oratore. Magna laus (inquit) & admirabilis videri solet tulisse sapienter casus aduersos, non factum esse fortuna, retinuisse in asperis dignitatem. Et idem lib. 3. de finibus bonorum, & malorum. Qui magno

animo

animo eſt atque forti, omnia, quæ cadere in hominem poſſunt, deſpicit & pro nihilo putat, atque iſte vir altus, & excellens magno animo verè fortis, infra ſe omnia ducit. Et Seneca in epiſt. Fortis, & compoſitus animus eſt, qui nec ablatum quicquam ſibi ſentit, nec abiectum, ſed in eodem habitu ſtat, quocumq; res cadunt ſiue geruntur: vulgaria bona ſupra res ſuas eminent, ſiue aliquid ex iſtis, vel omnia, caſus excuſſerit, minor non fit.

Tertiò, Cogitemus Deum iſta totaliter poſſe imutari finemque Imponere iuxta illud Virg.

—— Dabit Deus his quoque finem.

Quartò, Conſilium aduerſus infelicitatem quæramus: idque à certis noſtris amicis quos verè in iſto tempore cognoſcemus, & iſti veri amici dicendi ſunt; teſte Ouid. 1. Triſtium.

Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt, inſpicienda fides.
Dum iuuat & vultu ridet fortuna ſereno,
Indelibatas cuncta ſequuntur opes

At

At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli
Agminibus comitum qui modò cinctus erat.

Quintò, Felices nos potius quam infelices æstimare debemus, nam teste scriptura, afflictiones pios nō reddunt miseros sed potius beatos. & vt Ethnicorū adferam autoritatem; dicit Cic. 4. Tusc. Is est beatus, cui nihil humanarum rerum aut intollerabile ad demittendum animū aut minus lætabile ad efferendum videri potest.

Sextò, Cogitemus iustos in hoc mundo maxime affligi, & aduersitate puniri, vt scilicet pro humanarum rerū aduersitate cęlestiū obtineant felicitatem, & nulla potest esse maior in rebus aduersis consolatio.

Succedit tractatus in quo alijs prodesse possumus.

De Obsequio in alios.

CVm virtutis proprium est officium in alios beneficia conferre

re potius, quam ab alijs accipere; animaduertendũ iure merito reor, quo loco, quo tempore & quibus beneficia contribuamus teste Seneca lib. 3. de benef. In beneficio (inquit) tempus, locum, personam quisque obseruet, quia monumentis quædam grata & ingrata sunt. Quantò enim acceptius est, si id damus, quod quis non habet, quam cuius copia abundat? & quod diù quærit, quam quod vbique visurus est? illa quoq; non erunt sine honore quæ aut illi nemo alter dedit, aut nulli alij.

Primò, Igitur conferendi beneficij tempus inspiciendum. Tempore enim (inquit Seneca de benef. 3. cap. 8.) beneficia magna sunt. Beneficiũ est vsis in fame panis. Beneficium est, arentibus siti, & vix spiritum per siccas fauces ducentibus monstrare fontem. Eo animo quidquid debetur, quo datur, nec quantum sit, sed a quali voluntate, perpenditur. Maius enim aut minus fit quamuis idẽ sit tẽpore, loco, causa.

Se-

Secundò, Videndum vt bonis & gratis porrigamus beneficia; nam hæc ob duplicem causam magnum nobis adferunt honorem & teste Macrob. lib. 2. Saturnal. bene ficium dando accepit, qui digno dedit; & Lorichius Poeta sic scribit.

Si conferre cupis cuiquam benefacta benignus;
Tum prius exornet quem tua dextra, vide.
Deuicisse bonos meritis, res optima multis;
Nam redit ex illis gratia larga tibi.
Sed si destituat iustorum velle facultas
Reddet Stellifera qui se det arce pater.

Et Plautus in Rud.

Quod bene fit bonis, haud perit:
Ab alio expectes alteri quod feceris.

Et Virgilius 4. Aeneid.

Et bene apud memores veteris stat gratia facti.

Tertio, tempestiue danda sunt beneficia, citò, & libenter. Ingratum enim (inquit Seneca lib. 4. de benef.) beneficium quod diù inter manus dantis hæsit: quod quis ægrè dimittere visus est & sic dare tanquā sibi eripiatur. Gratissima autem sunt beneficia, parata, facilia, occurrentia, vbi nulla mora fuit nisi acci-

G pien-

pientis verecundia. Deinde, bis dat qui citò dat.


Quartò, vltrò offerenda ſunt beneficia teſte Eraſmo. non enim eſt expectandum, vbi neceſſitatē agnoſcimus, donec rogemur. Pulchrum ſane (inquit Seneca) prædicandum beneficium nulla dilatione ſuſpenſum, nullis precibus redemptum, nullis meritis comparatum. Gratius eſt enim donum quod venit ante preces. &

Bis eſt gratum, quod opus eſt, vltrò ſi offeras.

Ex his liquet, quod, qui rogatus ſolum beneficia confert, quaſi promiſſa conferat; Prouerbium enim Vulgatum eſt; *precata & a nobis promiſſa non differunt*. Et illud, *Carè conſtat precibus quod emitur*.


Quintò, Probe ac fideliter amicorum res peragantur, non ſecus ac noſtræ; imo amicorum negotia proprijs anteponenda; nam ſemper ſtudere debemus, vt amicos nouis beneficijs (vt ſuo loco dictum eſt) cumulemus; quod vel maximè faciemus eorum negotia promptè pertra-

tractando, eorum paupertati succurrendo, imo potius occurrendo, & eorum necessitati subueniendo, imo potius si fieri possit, præueniendo: sic Deum sequemur, & misericordiam apud ipsum impetrabimus.



Cap. VI.

VIRTVS SIVE HONESTAS acquiſita quomodo ſeruanda.



Bi iam omni virtutum genere ſimus ornati non minus ſtudendum eſt vt in ea perſeueremus quam arduum fuit eam conſequi nam teſte Ouidio.

Non minor eſt virtus quã quærere, parta tueri.

Virtutem igitur iam adeptam vt conſeruemus, quædam præceptiones noſtris pectoribus inſculpendæ aç imprimendæ ſunt.

Prima. Omnia, quæ honeſtatem peſſundare poſſunt, fugienda: vt ſunt allectamenta vitiorum, voluptatum illecebræ, crapula, luxus & otium. Hinc Hermolaus Barbarus optimè cecinit,

Ven-

Venter, pluma, Venus laudem fugienda sequēti.

Fugienda esse vitia virtutis amanti satis patet; impossibile est enim vt duo contraria in vno eodemque subiecto consistant iuxta Philosophū.

Secunda. Quidquid agamus, loquamur, & cogitemus, semper ad honestatem vergat. Sola igitur honestam exerceantur: in solis honestis sit omne opus, omnis labor, omnis cogitatio nostra. Sic tandem fiet vt virtutibus imbuamur non minus, quam si nobis a primo ortù ingenitæ forent; vitiaque omnia tanquam infensissimam pestem detestabimur, & virtutem tanquam bonorum omnium magistrā auidi amplexabimur. Multum est se virtuti assuefacere vt Virgilius bene notauit dicendo

Vsque adeò a teneris virtuti assuescere multum est,

Nihil potentius est assuefactione ad virtutem adeptam retinendam.

Obijciet fortasse quispiam. Vsq; adeo quis posset honesta agere & meditari, cum nemo sit qui omni-

bus momentis ſapiat, ſed interdum bonus dormitet Homerus? cui obiectioni facilis eſt reſponſio & ex ſequenti præceptione elucebit.

Tertia. Semper cum honeſtis cõuerſemur, ipſis conuiuamus & ab ipſorum conſortio nos non ſeducamus, exemplum Ciceronis ſequentes, qui (vt ipſe de ſe teſtatur) nonquam a Mutio Scæuola Sene. Seſe ſeparauit. Mirum namque dictu, quantum in moribus hominum familiaritas domeſtica ac quotidiana efficiat; hæc eſt quæ ipſam hominũ naturam (vt ita dicam) immutat, variat & prorſus inuertit: Ideò Pſalmiſta Pſal. 17. quondam ſcripſit; *cum bono bonus eris & cum peruerſo peruerteris*. Honeſti igitur quicumque eſſe aut perdurare voluerint, ſemper conabuntur honeſtis adeſſe, cum honeſtis conſortium habere, ac denique honeſtis cohabitare.

Quibus omnibus benè obſeruatis tandem, fauente Deo, videbimus quo apud nos virtus, certum, firmum, & incorruptibile domicilium, captu-


captura ſit; qua tandem duce cæleſte domicilium aſcendemus & æterna felicitate fruemur.

LAVS DEO OPTIMO MAXIMO.

IN Libro cuius Titulus est (*Honesta Viuendi Ratio*) Authore R. Petro Caroccio cuius Initium *Habes hic*; finis vero *felicitate fruemur*, nil contrarium Fidei Catholicæ inuenitur. In quorum fid.

Dat ex Ædibus S. Officij apud S. Antonium de Padua die 28. Mensis Iun. 1656.

Fr. Bernardinus de Mattera
Vic. General. S. Officij
Paduæ.



Errata sic Corrigantur.

Pag.ver. 2. 10. regijs Regis 14. se * 13. 2. ob ab 14.4.munus minus 6.auis quis 15 18. honestus honestum 17. 11. multæ multa 19.7.est est est 8.delinquat delinquit 21. 6.ingenys ingenuè 24.perduceret perducerent 23. 14.e & 29. 4.ludibus laudibus 33.13.perpedamus perpendamus 34.19.pupillis pusillis 22.sir si 39.3.secundam secundum 40.19. * 42. 12.aloquente repeti à loquente repeti aut 44.1. nimietas nimieitas 13.ij is 45.10. contrestetur contristetur 16. respodit respondit 47. 25.vtilitati Virilitati 48.18.virtutis virtutes 57.21. ditissimè 59.15. virtutosam virtuosam. 60. 21.sibimet 61.20. labeam laborem 23.max mox 62.10.promissionem promissione 22. Omædia Comædia 64. ijs ij 65.7.resissistit resistit 15. officiorum est officium, Iuuenis est, 18. instituant instituat 67. 10. virtutis virtutes 60. 7. etati ætati 18. mirum à senibus mirum si à senibus 70. 16. quo quod 71.5.instrustus instructus 77.2.Hæc Et 78. 5. venerabilis venerabilius 80. 27. iussu iussa 82.1.coiro corio 85.11.assequamur assequantur 87. 5. decent docent 90. 2. socy socijs 14. dicamus discemus 27. opiniones opinionis 91. 7. nutri neutri 93.16.qua quia 95.3.pudici mecum pudicę cum 10.amata arma

ta 96.10 sciras schytas 97.16.docentq; decentq; 26.esse esset 98. 19. Humæ Numæ 100. 7.forma fortuna 12. habetur habeto 105.25.instituat instituant 117.16.iubet iube 22.miratur mutatur 113.24.ad at 120. 2. vulgatam vulgatum 15.sit sic 127.19.istam istum 139. 3. disce hisce 142. 15. imutari immutari.